LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

STATI EPITHALAMIVM

(SILV. I, 2)

DENVO EDITVM ADNOTAVIT

QVAESTIONESQVE ADIECIT ARCHAEOLOGICAS

AVGVSTVS HERZOG.

LIPSIAE

TYPIS ET SVMPTIBVS BREITKOPFII ET HAERTELII

MDCCCLXXXI.

1.00

STATI EPITHALAMIVM

(SILV. I, 2)

DENVO EDITVM ADNOTAVIT

QVAESTIONESQVE ADIECIT ARCHAEOLOGICAS

AVGVSTVS HERZOG.

LIPSIAE

TYPIS ET SVMPTIBVS BREITKOPFII ET HAERTELII

MDCCCLXXXI.

ERNESTO HERZOG

PATRI CARISSIMO

FRIDERICO DE DVHN

PRAECEPTORI AMICISSIMO

S.

In textu constituendo hisce usus sum siglis:

A significat eas »adnotationes, quas aut certo constat aut probabile est ab ipso Politiano ex eo quo is utebatur codice deperdito exscriptas esse.« Quas Studemundus cum ipse Romae ex exemplari illo Corsiniano usque ad versum 181 accuratissime enotasset, summa cum comitate, quo tempore apud eum versabar, mihi dictavit. Quae praeterea de *A* referuntur, partim ex Hauptiana illa collatione fluxerunt partim Mauio debeo, qui meos in usus Duhnio intercedente nonnullos inspexit locos.

a editionis principis lectiones semper accedunt ad versus 1—181, ex quo accuratius aliquid concludere liceat de Politiani in antiquo codice conferendo cura et diligentia. Iam inde ab hoc versu omnes verborum depravationes in *a* sola extantes omissae sunt.

R codicis Rehdigerani benignissime Zangemeister,

M codicis Matritensis (M, 31 fol. min. chart. saec. XV in bibliotheca nationali) summa cum liberalitate Loewius mihi suppeditavit lectiones. Hunc codicem ab ipso repertum optimum vir ille doctus putat eorum, quos Baehrensius sub C comprehendit.

Utriusque codicis praetermissis plerisque scripturae minutiis levissimisque erroribus sive a librario ipso statim correctis sive ab illius temporis correctore (ut fit in *R*) omnes dedi discrepantias.

B codicem Budensem, nunc Vindobonensem No. 140 ipse Heidelbergae contuli omnesque etiam manus secundae adscripsi lectiones, quo elucesceret, quam prope accederent ad codicem *R* (cf. Baehrensium p. IX).

Coniecturas hominum doctorum temporis paullo remotioris cum delectu, quia apud Handium facile possunt inveniri, recentiores quaecumque mihi innotuere attuli omnes praeter Baehrensianas, quia et in propatulo sunt ei qui Statio ab illo edito utitur, et omnes me quidem iudice sine detrimento reticentur.

Epithalamium in Stellam et Violentillam.

Unde sacro Latii sonuerunt carmine montes?
Cui, Paean, nova plectra moves umeroque comanti
Facundum suspendis ebur? procul ecce canoro
Demigrant Helicone deae quatiuntque novena
Lampade sollemnem thalamis coeuntibus ignem 5
Et de Pieriis vocalem fontibus undam.
Quas inter vultu petulans Elegea propinquat
Celsior adsueto divasque hortatur et ambit
Alternum fultura pedem decimamque videri
Se cupit et medias fallit permixta sorores. 10
Ipsa manu nuptam genetrix Aeneia ducit
Lumina demissam et dulci probitate rubentem;
Ipsa toros et sacra parat cultuque Latino
Dissimulata deam crinem vultusque genasque
Temperat atque nova gestit minor ire marita. 15
Nosco diem causasque sacri: te concinit iste —
Pande forês! — te, Stella, chorus, tibi Phoebus et Euhan

---

titulum epithalamium in stellam et violentillam *addidit A, eundem titulum ceteri praebent codices nisi quod* Epithalamion *scriptum est.* 2 Qui *B* | tonanti *a*, co *litterarum vestigia supra priorem huius vocabuli partem videntur superesse A* || 4 quatiuntque *A*: quantumque *a* || 9 factura *B*, futura *M* (*haec et id genus alia semper a* m^2 *sunt suprascripta*) factura *a* fractura *Gevartius* tractura *Heinsius* || 11 duxit *RBMa*, c *litteram supra* x *add. aut ipse Politianus aut manus eius simillima* || 12 lumine *RBMa* || 13 cultuque *T. Faber*: coetuque *RMa* cetuque *B* cinctuque *Barthius et Heinsius* || 15 noua *A*: nouo *a* || marita, *ut vid. A*: marito *a* || 17 euuan *R* euahn *a*

Et de Maenalia volucer Tegeaticus umbra
Serta ferunt; nec blandus Amor nec Gratia cessat
20 Amplexum niveos optatae coniugis artus
Floribus innumeris et olenti spargere nimbo.
Tu modo fronte rosas, violis modo lilia mixta
Excipis et dominae niveis a vultibus obstas.
Ergo dies aderat Parcarum conditus albo
25 Vellere, quo Stellae Violentillaeque professus
Clamaretur hymen. cedant curaeque metusque,
Cessent mendaces obliqui carminis astus,
Fama tace; subiit leges et frena momordit
Ille solutus amor; consumpta est fabula vulgi
30 Et narrata diu viderunt oscula cives.
Tu tamen attonitus, quamvis data copia tantae
Sortis, adhuc optas permissaque numine dextro
Vota paves. pone o dulcis suspiria vates,
Pone: tua est. licet expositum per limen aperto
35 Ire, redire gradu; iam nusquam ianitor aut lex
Aut pudor. amplexu tandem satiare petito
(Contigit!) et duras pariter reminiscere noctes.
Digna quidem merces, et si tibi Iuno labores
Herculeos, Stygiis et si concurrere monstris
40 Fata darent, si Cyaneos raperere per aestus.
Hanc propter tanti Pisaea lege trementem

---

18 tegeticus *R* || 19 Serta *A*: Secta *a* | nec *A*: nec te *a* || 21 tymbra *a* || 22 fronte *A*: fonte *a* | mollis *a*, ui *supra primam litteram add. A* || 23 dominae *edd.*: dominis *RBMa* | nitidis *Marklandus* || 27 mordaces *Markl.* | astris *a* ausus *Heinsius* || 30 narrata *A*: natura *a* || 32 Sortis *Markl.*: Noctis *RBMa* | promissaque *Ra idem praebet B ita tamen ut* o *ex* e *facta videatur* de premissaque (de m^2 *del.*) *M* permissaque *Heinsius* | dextra *M* a *in* o *mutavit* m^2 *in B* || 33 paues *A*: paue *a* || 34 expositum — aperto *A*: expositam — aperta *a* || 35 *post* nusquam *deletum* ge *M* || 36 Saciare *A* | *totus versus deest in a, additus a Politiano in marg.*; *ultimi tamen vocabuli* (petito) *propter desectam marginem hodie nihil superest nisi prima littera ac ne haec quidem integra* potito *Itali* || 37 *pro* duras *voluit* viduas *I. Cornelissen Mnemosyne N. S. V*, 279 | 40 traneos *R* cianeos *a* | raperere *A*: raptare *a*

Currere et Oenomai fremitus audire sequentis.
Nec si Dardania pastor temerarius Ida
Sedisses, haec dona forent, nec si alma per auras
Te potius prensum veheret Tithonia biga. 45
Sed quae causa toros inopinaque gaudia vati
Attulit, hic mecum, dum fervent agmine postes
Atriaque et multa pulsantur limina virga;
Hic, Erato iucunda, doce. vacat apta movere
Colloquia et docti norunt audire penates. 50
Forte serenati qua stat plaga lactea caeli,
Alma Venus thalamo pulsa modo nocte iacebat
Amplexu duro Getici resoluta mariti.
Fulcra torosque deae tenerum premit agmen Amorum;
Signa petunt, quas ferre faces, quae pectora figi 55
Imperet, an terris saevire an malit in undis,
An miscere deos an adhuc vexare Tonantem.
Ipsi animus nondum nec cordi fixa voluntas.
Fessa iacet stratis, ubi quondam conscia culpae
†Lemnia deprenso repserunt vincula lecto. 60
Hic puer e turba volucrum, cui plurimus ignis
Ore manuque levi numquam frustrata sagitta,
Agmine de medio tenera sic dulce profatur

---

42 oenomai *A*: emonia *a* | frequentes *a*, i *supra ultimam* e *huius vocabuli add. A*; *alia manus supra primam litteram scripsit* Do se (*id est Domitius Cald. voluit* sequentis || 43 Hec *B* N *e corr. M* || 44 in antiquo cod. sedisses *A*; *praeterea adscriptum est* Do Venisses (*incertis tamen primis sex huius vocabulis litteris*) Dixisses *a* | hec *B* nec m^2 *in* hec *corr. M* || 45 prensum *Parrhasius*: prensa *RBM* prehensa *a (sic!)* | titonia *ut vid. A* tritonia *Ra* tithonia *B* || 46 uates *a*, i *ut vid. supra* e *add. A* (*id est* uatis *A*) uatis *RBM* || 48 pulsantur *A*: pulsantis *a* | limina *R* lumina *B* || 49 doce *an* docet *incertum A* decet *a* || 50 Alloquia *Markl.* || 51 qua *A*: quo *a* || 52 iacebant *a* || 53 getici *A*: greci *a* || 55 quis *vel* quo ferre *Heinsius* || 60 repserunt deprehenso *a*, *ordinem verborum invertit A*; deprenso repserunt *RM* deprẹn deprehenso r. *B* sepserunt deprenso *Heinsius* sepserunt deprensam *Burmannus*; repserunt *vocabulo servato Handius* deprensae, *pro* lecto *Iacobsius* moecho *Marklandus* furto *scripserunt*; deprensos replerunt vincula luctu *F. Schoellius temptavit* || 62 manumque levem *Heinsius* || 63 uoce *R* l'uoce dulce *B* | profatur *A*: profatus *a*

Voce — pharetrati pressere silentia fratres —
65 »Scis ut, mater,« ait, »nulla mihi dextera segnis
Militia; quemcunque hominum divumque dedisti,
Uritur; at quondam lacrimis et supplice dextra
Et votis precibusque virum concede moveri,
O genetrix! duro nec enim ex adamante creati,
70 Sed tua turba sumus. clarus de gente Latina
Est iuvenis, quem patriciis maioribus ortum
Nobilitas gavisa tulit praesagaque formae
Protinus e nostro posuit cognomina caelo:
Hunc egomet tota — quoniam tibi dulce — pharetra
75 Improbus et densa trepidantem cuspide fixi.
Quamvis Ausoniis multum gener ille petitus
Matribus, edomui victum dominaeque potentis
Ferre iugum et longos iussi sperare per annos.
Ast illam summa leviter, sic namque iubebas,
80 Lampade parcentes et inerti strinximus arcu.
Ex illo quantos iuvenis premat anxius ignes,
Testis ego attonitus quantum me nocte dieque
Urgentem ferat. haud ulli vehementior umquam
Incubui, genetrix, iterataque vulnera fodi.
85 Vidi ego et immiti cupidum decurrere campo
Hippomenem, nec sic meta pallebat in ipsa.
Vidi et Abydeni iuvenis certantia remis
Brachia laudavique manus et saepe natanti
Praeluxi — minor ille calor, quo saeva tepebant

---

67 tandem *coniecit Markl. pro* quondam || 68 Et *A*: Pro *a* | viri *Bernartius* nurum *Polster* (*in Programm. Wongrowitziano a.*1878) || 69 duro — adamante *A*: nudo — clamante *a* || 70 sumus *A*: simus *a* || 71 patriciis *an* patritiis *incertum A*: patruis *a* || 72 forma *R* form~~e~~ l'a *B* || 73 et *R* 74 ego me *R* | quondam *RBMa corr. Parrhasius* || 75 tensa *voluit Koestlinius* (*Philol. XXXV*, 526) || 78 sperare *A*: spectare *a* || 80 inerti *A*: inermi *a* || 82 attonitus *A*: attonito *RBMa* || 84 fodi *A*: facti *a* feci *Handius* fixi *pleraeque edd.* || 86 Ippomenem *RBM* Hyppomenen *a* | in ima *Markl.* || 87 abideni *Ra* abydeⁿi *B* abydeni *in* abydei *corr. m*² *M* || 88 Brachia *A*: Bracha *a* || 89 Praeluxi *A*: Praeulsi *R*, *ex quo Passovius (p. XXI)* Praefulsi *restitui voluit* Prelu~~x~~si *B* Praelusi *a*

Aequora — tu veteres, iuvenis, transgressus amores. 90
Ipse ego te tantos stupui durasse per aestus
Firmavique animos blandisque madentia plumis
Lumina detersi. quotiens mihi questus Apollo
Sic vatem maerere suum! iam, mater, amatos
Indulge thalamos; noster comes ille piusque 95
Signifer: armiferos poterat memorare labores
Claraque facta virum et torrentes sanguine campos,
Sed tibi plectra dedit mitisque incedere vates
Maluit et nostra laurum subtexere myrto;
Hic iuvenum lapsus suaque haud extrema revolvit 100
Vulnera, pro! quanta est Paphii reverentia, mater,
Numinis: hic nostrae deflevit fata columbae.«
Finis erat: tenera matris cervice pependit
Blandus et admotis tepefecit pectora pennis.
Illa refert vultu non aspernata rogari: 105
»Grande quidem rarumque viris, quos ipsa probavi,
Pierius votum iuvenis cupit, hanc ego formae
Egregium mirata decus, cui gloria patrum
Et generis certabat honos, tellure cadentem
Excepi fovique sinu; nec colla genasque 110
Comere nec pingui crinem deducere amomo
Cessavit mea, nate, manus. mihi dulcis imago
Prosiluit. celsae procul aspice frontis honorem
Suggestumque comae. Latias metire quid ultra

---

92 Firmauique *A*: Firmarique *a* || 94 iam[sic] *R inter* suum *et* iam *scripsit* sic m^2 *in B* suum[sic] iam | meruere *a*, u *litteram del. ut videtur, A id est* merere, *quod praebent ceteri codd.* || 95 Indulget *RBMa*, *corr. edd.* | ille[l'ire] *B* || 98 c[e] Séd *adscriptum est in margine aut ab ipso Politiano aut ab manu eius simillima* (*id est* conice Sed); *praeterea* Do hic *adscriptum est* Sic *RBMa* || 99 nostra *A*: uestra *a* | myrtho *A*: quercu a || 100 haud extrema *Itali: in marg. adscripsit aut Politianus ipse aut manus eius simillima* aut externa, *quod praebent MB, nisi quod* m^2 *in B* l'haud *suprascripsit* haud externa *R* aut extrema *a* || 103 Finis erat tenera *(sic!) A*: Finierat t. *R* Finis[l' finierat] erat t. *B* Dempserat intenera *a* || 105 uultu *a*: uultum *ARBM* || 107 capit *Markl.* | hanc *A*: hic *a* || 113 honores *RBMa*, *corr. Itali* || 114 metire, *ut vid. A*: nectire *a*

115 Emineat matres; quantum Latonia nymphas
Virgo premit quantumque egomet Nereidas exto.
Haec et caeruleis mecum consurgere digna
Fluctibus et nostra potuit considere concha,
Et si flammigeras potuisset scandere sedes
120 Hasque intrare domos, ipsi erraretis, Amores.
Huic quamvis census dederim largita beatos,
Vincit opes animo. querimur iam Seras avaros
Angustum spoliare nemus Clymeneaque desse
Germina nec virides satis illacrimare sorores,
125 Vellera Sidonio iam pauca rubescere tabo
Raraque longaevis nivibus crystalla gelari.
Huic Hermum fulvoque Tagum decurrere limo
— Nec satis ad cultus — huic Inda monilia Glaucum
Proteaque atque omnem Nereida quaerere iussi.
130 Hanc si Thessalicos vidisses, Phoebe, per agros,
Erraret secura Daphne; si in litore Naxi
Theseum iuxta foret haec conspecta cubile,
Gnosida desertam profugus liquisset et Euhan.
Quod nisi me longis placasset Iuno querelis,
135 Falsus huic pennas et cornua sumeret aethrae
Rector; in hanc verso cecidisset Iuppiter auro.

---

135 Priscianus II p. 10: Statius quoque huic videtur protulisse per diaeresin in primo silvarum: Laetus huic dono videas dare tura nepotes, idem in eodem: Falsus huic pinnas et cornua sumeret aethrae.

---

116 exto *A*: ęstu *a* || 119 flammiferas *a* || 121 Hinc *Ra* Huic *corr. in* Hinc m^2 *B* || 122 opes *A*: ope atque *a* | qu(a)eritur *RBMa*, *corr. Peyraredus* | seras *A*: seres *R* serus *a* || 123 Angustum *A*: Augustum *B* Augustum *Ma, ut tamen in M prima* u *etiam* n *esse posse videatur* | spoliasse *Heinsius* | clymenea *A*: dumeta *a* | deesse *RBMa corr. edd.* || 127 Hinc *RBa utrum* Huic *an* Hinc *sit, incertum M* || 128 huic Inda *Domitius*: hinc *(quod* m^2 in huic *correxisse videtur)* ꝓuda (i *del.* m^2) *B* huic i̯uda (i m^2 *exp.*) *M* hinc uincla *R* blanda *Grasberger* (*Fleckeiseni ann. CXV*, 420) || 130 thesalicos *a* || 131 daphnes secura in littora *R* daphnes sec. in littore *a* sec. dafnes in litore *BM corr. Tollius* in *tamen omisso* || 133 Euahn *a* || 134 me (*incertissima tamen priore littera nec prorsus certa altera*) *A*: nec *a* || 135 Falsas *a*, u *supra paenultimam litteram adscripta est, incertissimum tamen, utrum a Politiani manu an ab aliena* | hinc *a* | pennas *A*: poenas *a* || 136 verso *ego*: vero *RBMa* alio *Markl.* iterum *Burmannus* crebro *Grasberger*

Sed dabitur iuveni, cui tu, mea summa potestas,
Nate, cupis, thalami quamvis iuga ferre secundi
Saepe neget maerens. ipsam iam cedere sensi
Inque vicem tepuisse viro.« sic fata levavit 140
Sidereos artus thalamique egressa superbum
Limen Amyclaeos ad frena citavit olores.
Iungit Amor laetamque vehens per nubila matrem
Gemmato temone sedet. iam Thybridis arces
Iliacae: pandit nitidos domus alta penates, 145
Claraque gaudentes plauserunt limina cygni.
Digna deae sedes viridis nec sordet ab astris.
Hic Libycus Phrygiusque silex, hic dura Laconum
Saxa virent; hic flavus onyx et concolor alto
Vena mari rupesque nitent, quis purpura saepe 150
Oebalis et Tyrii moderator livet aeni.
Pendent innumeris fastigia nixa columnis;
Robora Dalmatico lucent satiata metallo;
Excludunt radios silvis decussa vetustis
Frigora, perspicui vivunt in marmore fontes. 155
Nec servat natura vices: hic Sirius alget,
Bruma tepet, versumque domus sibi temperat annum.
Exultat visu tectisque potentis alumnae

---

137 Sed *A*: Si *a* || 139 sensi, *ut vid. A*: sensu *a* || 140 leuauit *A*: locauit *a* || 141 artus *A*: arcus *a* || 142 Limen *A*: Lumen *a* Lymen *M* || 143 laetaque *R* | uehens *A*: uehemens *a* || 144 iam *A*: *praeterea* Do tam *adscriptum est* uas *a* | t(h)ibridis *RB* tybridis *a* | arces *A*: arcis *a* || 145 nitidos *A*: rutilos *a* || 146 limina *A*: littora *a* | Caraque *pro* Claraque *scripsit Heinsius* || 147 uiridis *a*, N ut nitidis *suprascripsit A (incertis tamen primis tribus litteris, quarum altera et tertia* uel *particula per compendium scripta continetur); praeterea magis fusco atramento fortasse ab ipso Politiano posteriore tempore* ant. viridis *adscriptum est* nitidis *Dom.* || 148 Hic libycus *A*: Nec libyus *a* || 149 hic *A*: his *a* | flavus *scripsi*: flexus *RBMa* fuscus *vel* fletus (!) *Heinsius* | alto *A*: auro *a* || 150 nitent *A*: nitet *a* | cedit *pro* saepe *coni. Markl.* || 153 *in A margini adscriptum est* concolor, *quod vocabulum quid hoc loco sibi velit non apparet* || 154 demissa *RB* deuissa *M*; decussa *videtur latere, quod praebet a plurimaeque edd.* || 156 Nec *A* N *ex* H *facta*: Hęc *a* || 157 vernumque *Heinsius* || 158 Exultant *a*

Non secus alma Venus quam si Paphon aequore ab alto
160 Idaliasque domos Erycinaque templa subiret.
Tunc ipsam solo reclinem affata cubili:
»Quonam hic usque sopor vacuique modestia lecti,
O mihi Laurentes inter dilecta puellas?
Quis morum fideique modus? numquamne virili
165 Summittere iugo? veniet iam tristior aetas.
Exerce formam et fugientibus utere donis.
Non ideo tibi tale decus vultusque superbos
Meque dedi, viduos ut transmittare per annos,
Ceu non cara mihi. satis o nimiumque priores
170 Despexisse procos; at enim hic tibi sanguine toto
Deditus unam omnes inter miratur amatque
Nec formae nec stirpis egens — nam docta per urbem
Carmina qui iuvenes, quae non didicere puellae?
Hunc et bis senos (sic indulgentia pergat
175 Praesidis Ausonii) cernes attollere fasces
Ante diem; certe iam nunc Cybeleia novit
Limina et Euboicae carmen legit ille Sibyllae.
Iamque parens Latius, cuius praenoscere mentem
Fas mihi, purpureos habitus iuvenique curule
180 Indulgebit ebur Dacasque (en! gloria maior)
Exuvias laurosque dabit celebrare recentes.
Ergo age iunge toros atque otia deme iuventae!
Quas ego non gentes, quae non face corda iugavi?

---

159 quam si paphon *A*: quę se phaon *a* || 160 Ericinaque *a* | subiret *A*: subire *a* || 161 recliuen *R* recliuem *a* | affata *A*: ad fata *a* || 166 Exerce *A*: Exercet *a* || 168 ut transmittare *A*: ut transmutare *B* et transmutare *a* || 169 clara *RBMa corr. edd.* | o *interiectio deest in R* || 171 inter *A*: semet *a* || 172 non docta *R* || 173 quae iuvenes *a* || 174 Hunc *A*: Nunc *RBa* | senos *A*: senus *a* || 175 Praesidis *A*: Praesibus *a* || 176 cibeleia *a* | mouit *RBMa, corr. pleraeque edd.* Phoebeia *coni. Volckmarius (Philol. VIII)* || 177 Lumina *a* || 178 Iamque *A*: Inque *a* || 179 purpureos *A*: purpureo *a* || 180 Dacasque en *Handius*: Dacas que doctas & *A*: *praeterea ipse A in margine adscripsit* que est *(falsa de A referuntur a Baehrensio)* doctas& *a* dacasque et *RM* clarasque & *B* || 181 recentes *A*: recentis *a* || 183 mentes *Heinsius* | iugali *RBMa corr. Dom.*

Alituum pecudumque mihi durique ferarum
Non renuere greges; ipsum in conubia terrae 185
Aethera, cum pluviis rarescunt nubila, solvo.
Sic rerum series mundique revertitur aetas.
Unde novum Troiae decus ardentumque deorum
Raptorem, Phrygio si non ego iuncta marito,
Lydius unde meos iterasset Thybris Iulos? 190
Quis septemgeminae posuisset moenia Romae
Imperii Latiale caput, nisi Dardana furto
Cepisset Martem, nec me prohibente, sacerdos?«
His mulcet dictis tacitumque inspirat honorem
Conubii. redeunt animo iam dona precesque 195
Et lacrimae vigilesque viri prope limina questus
Asteris et vatis totam cantata per urbem,
Asteris ante dapes, nocte Asteris, Asteris ortu,
Quantum non clamatus Hylas. iamque aspera coepit
Flectere corda libens et iam sibi dura videri. 200
Macte toris, Latios inter placidissime vates,
Quod durum permensus iter †coeptique laboris
Prendisti portus. nitidae sic transfuga Pisae
Amnis in externos longe flammatus amores
Flumina demerso trahit intemerata canali, 205
Donec Sicanios tandem prolatus anhelo
Ore bibat fontis; miratur dulcia Nais
Oscula nec credit pelago venisse maritum.

---

186 Ethere *R* || 189 sic *R* || 191 Qui *RBa* || 192 si *RBM*, nisi *a* || 194 tacitoque *RBMa* tacitumque *Itali* || 195 Coniugii *R* | iam vota *Markl.* || 196 lumina u *in* i *mutavit, ut vid.* m^2 *B* lumina *M* || 197 et vati *Markl.* it vati *Heinsius* || 202 coeptique laboris *RMa, cuius margini adscripta sunt verba prorsus evanida, quae num omnino ad haec referenda sint cognosci non potest*: ceptique laboris *B* coeptosque labores *coniecit Markl.* crebrique laboris *Wachsmuthius* capitisque labores *Schoellius* 203 mtiade *BM, nisi quod* m^2 *in B corruptum vocabulum in* nitide *corr.* mie *a; in margine quae extant neque legi possunt neque certum num ad haec spectent;* madidae *voluit Triller* || 204 Annus *RBMa corr. Itali* || 206 ploratus *R* populatus *a*

Quis tibi tunc alacri caelestum munere claro,
210 Stella, dies? quanto salierunt pectora voto,
Dulcia cum dominae dexter conubia vultus
Adnuit! ire polo nitidosque errare per axes
Visus. Amyclaeis minus exultavit arenis
Pastor ad Idaeas Helena veniente carinas;
215 Thessala nec talem viderunt Pelea Tempe,
Cum Thetin Haemoniis Chiron accedere terris
Erecto prospexit equo. quam longa morantur
Sidera! quam segnis votis aurora mariti!
At procul ut Stellae thalamos sensere parari
220 Letous vatum pater et Semeleius Euhan,
Hic movet Ortygia, movet hic rapida agmina Nysa.
Huic Lycii montes gelidaeque umbracula Thymbrae
Et, Parnase, sonas; illi Pangaea resultant
Ismaraque et quondam genialis litora Naxi.
225 Tunc caras iniere fores comitique canoro
Hic chelyn, hic flavam maculoso nebrida tergo,
Hic thyrsos, hic plectra ferunt; hic enthea lauro
Tempora, Minoa crinem premit ille corona.
Vixdum emissa dies et iam socialia praesto
230 Omina, iam festa fervet domus utraque pompa.
Fronde virent postes, effulgent compita flammis
Et pars immensae gaudet celeberrima Romae.

---

209 caelestum in *RBMa*, in *del. Dom.* || 212 Adiuuat *R* l'Adiuuat Annuit *B* || 215 tampe *R* || 216 emoniis *R* || 218 maritis *Heinsius* || 220 Lethous *R* Lathous *B* a Lethous (a *suprascripsit* m^2) *M; adscripsit* m^2 *in margine* celer, *quod quid sibi velit nescio.* Latous *a* || 221 *alterum illud* movet *deest in B et M, cuius in margine corruptelae signum, ut saepius* || 222 litii *R, fortasse etiam B, nisi quod* m^2 *corr.*, latii *a* || 223 Et parnasis honos *RBM,* Et parnasus honos *a (nil adnotatum)* Parnasse sonas *Dan. Heinsius*, Parnassus ovant *N. Hopfius et Weichertus, quod iteravit tamquam de suo Grasberger* (*Fleckeiseni ann. CXV,* 769) || 230 Omnia *RBa* Omina *A, incertum utrum* omnia *an* omina *sit M* || 231 Fronte *RM* | effulgent *Markl:* et fulgent *RBMa*

Omnis honos, cuncti veniunt ad limina fasces;
Omnis plebeio teritur praetexta tumultu.
Hinc eques, hinc iuvenum coetu stola mixta laborat. 235
Felices utrosque vocant, sed in agmine plures
Invidere viro. iamdudum poste reclinis
Quaerit Hymen thalamis intactum dicere carmen,
Quo vatem mulcere queat. dat Iuno verenda
Vincula, et insignis geminat Concordia taedas. 240
Hic fuit ille dies; noctem canat ipse maritus!
Quantum nosse licet: sic victa sopore doloso
Martia fluminea posuit latus Ilia ripa!
Non talis niveos tinxit Lavinia vultus,
Cum Turno spectante rubet; non Claudia talis 245
Respexit populos mota iam virgo carina.
Nunc opus, Aonidum comites tripodumque ministri,
Diversis certare modis: eat enthea vittis
Atque ederis redimita cohors, ut pollet ovanti
Quisque lyra, sed praecipue qui nobile gressu 250
Extremo fraudatis opus, date carmina festis
Digna toris. hunc ipse Coo plaudente Philetas
Callimachusque senex Umbroque Propertius antro
Ambissent laudare diem, nec tristis in ipsis
Naso Tomis divesque foco lucente Tibullus. 255
Me certe non unus amor simplexque canendi
Causa trahit: tecum similes iunctaeque Camenae,
Stella, mihi multumque pares bacchamur ad aras
Et sociam doctis haurimus ab amnibus undam.
At te nascentem gremio mea prima recepit 260
Parthenope dulcisque solo tu gloria nostro

---

234 phebeio *M* territur *MB*[1] (*m*[2] *alteram* r *exp.*) || 235 iuuenum questus *RBa* ~~hasta~~ *(sic del.) post* questus *M* coetu *Bernartius*: coetus *Markl.* cinctu *Grasberger* || 236 uerosque *R* || 237 iandudum posse recliuis *R* || 238 intanctum *R* uitatum *a* || 240 insigni — taeda *RBMa*, *corr. Boxhornius* geniat *a* || 242 nosce *RBM* | lucet *R* || 244 strinxit *RBMa* tinxit *Guietus et Schrader* || 248 victis *a sola, quod moneo propter Baehrensium* || 250 pra(e)cipui *RBMa* || 251 epos *Heinsius* || 252 choo *RBM* choro *Auantius* | philetes *A* philites *RBa* philytes *M*

Reptasti. nitidum consurgat ad aethera tellus
Eubois et pulchra tumeat Sebethos alumna;
Nec tibi sulphureis Lucrinae Naides antris
265 Nec Pompeiani placeant magis otia Sarni.
Heia age praeclaros Latio properate nepotes,
Qui leges, qui castra regant, qui carmina ludant.
Acceleret partu decimum bona Cynthia mensem,
Sed parcat Lucina precor; tuque ipse parenti
270 Parce, puer, ne mollem uterum, ne stantia laedas
Pectora; cumque tuos tacito natura recessu
Formarit vultus, multum de patre decoris,
Plus de matre feras. at tu pulcherrima forma
Italidum tandem merito possessa marito
275 Vincla diu quaesita fove: sic damna decoris
Nulla tibi; longe viridis sic flore iuventae
Perdurent vultus, tardeque haec forma senescat.

En habes quomodo textum scriptum velim; iam cur sic mihi videatur nonnullis locis intellectu difficilioribus paullo accuratius explanare fortasse in rem est.

13 • V. 13 codicum illud *coetuque Latino*, utcunque intellegis, non est sanum. Quamobrem Barthius atque, ut ex exemplari illo Gottingensi apparet, etiam Heinsius scripserunt *cinctuque Latino*, quod receperunt plerique me quidem non assentiente. Namque 1) *cinctūs* (plur.!) substantivum bis tantum apud Statium invenitur significans *cingula militaria* (*Degengehenk*); 2) Exempla ex Claudiano repetita ad

262 nitidum *a*: uinclum *R*, *idem praebet B a* m^2 *sine rasura in textu additum* umdum, *ut vid. M* || 264 sibi *RBMa* tibi *edd. pleraeque* || 267 regant *A*: legant *RBMa* || 273 ac tu *RMa*. *Hunc versum librarii errore post v.* 275 *iteratum expunxit inclusitque vocabulo* va-cat m^2 *B*

demonstrandum *cinctum* (?) simpliciter notionem habere eandem quam vestem nihil per se probant. Claudianus enim (in Eutropium I, 28: *rupta Quirinales sumant ergastula cinctus*) loquitur de consulari veste, quae certum in modum erat *cincta*; cf. aliud exemplum Claud. Cons. Honor. IV, 157: *Ipsa Quirinali parvum te cinxit amictu.* Sed etiamsi sic esset usurpatum *cinctus* substantivum, tamen hic non haberet locum, quoniam non solum vestimenti, sed totius apparatus requiritur notio. Quamobrem nullus dubito, quin cum Tan. Fabro scribendum sit *cultuque Latino*, quam vocem et quam desideramus significationem habere et propius accedere ad codicum scripturam apertum est.

V. 60. Sequitur locus coniecturis satis superque temptatus: 60

Fessa iacet stratis, ubi quondam conscia culpae
Lemnia deprenso repserunt vincula lecto.

(sic secundum codices.) Verba tradita ferri non posse inter omnes nunc quidem convenire putabam, cum nuperrime legi miserrimam defensionem totius loci a Bitschofsky prolatam*). Quamobrem non supervacaneum puto omnia, quae perspicua sunt, explanare. Atque primum quidem quid sibi vult *deprenso lecto*? Nullo enim modo potest *deprehendere* idem valere quod *cingere*, *circumdare*; *deprehendere* enim semper habet notionem capiendi, assequendi, opprimendi. Quamobrem rectissime Marklandus Gronovio comparanti Theb. VII, 63 sq.: *nondum radiis monstratus adulter Foeda catenato luerat connubia lecto*, respondit: catenatus lectus est catenis cinctus, circumdatus; deprensus lectus quid sit, nescio.

Deinde *deprehendere lectum* numquam idem est quod *deprehendere eos, qui in lecto sunt*, quamquam certissimum est *lectum* pro *coniugio* usurpatum esse. Quae omnia Handius cum intellexisset, scripsit: *conscia culpae*

Lemnia deprensae repserunt vincula lecto.

Qua coniectura cum novus affertur ordo verborum contortus tum vetera servantur menda in duobus, ut puto, sita verbis. *Repere* enim est humi *serpere, tarde prodire* vel

---

*) Wiener Studien Jahrgang II, Heft 2.

omnino poetice, ut ἕρπειν, *prodire* (eodemque modo quo ἕρπειν de infantibus praecipue usurpatur saepiusque *reptare*): sed nusquam inveni significationem *clam opprimendi, cingendi.* Accedit quod *repserunt* absolute positum = »*sie schlichen sich heran*«, »*krochen heran*« mirum in modum esset dictum neque rei satis responderet. Vincula enim sive tibi fingis cum Homero ἠΰτ᾽ ἀράχνια λεπτά sive cum Ovidio (artis II, 580) ut laqueos nullo modo potest dici *repere.* Neque enim repit araneum, sed capit, cingit captum itemque laqueus. Quamobrem Heinsius scripsit: *sepserunt*, leniter sane mutans neque tamen bene. Saepire enim velut muris, vallo potes aliquid ad defendendum, non vinculis quibus, quidquid circumdas, non tuearis ab alio, sed ipse captes et constringas.

Alterum autem illud, quod alii alio modo sibi videbantur emendasse *lecto*, fulcire conatur Bitschofsky collato Theb. II, 89 sq.

Nox ea, cum tacita volucer Cyllenius aura
Regis Echionii stratis adlapsus, ubi ingens
Fuderat Assyriis exstructa tapetibus alto
Membra toro.

Sed Thebaidis loco longe aliter res est comparata. *Stratis* enim, quae vox hic ut supra universam habet *lecti* notionem, adduntur singulae lecti partes torus, tapetes: sed Epithal. v. 60 nonne post *stratis* inaniter et moleste repetitur *lecto*?

Quae cum ita sint quae huic loco afferenda sit medela nescio. Schoelli suspicionem supra addidi.

62 V. 62 Nec cum Heinsio scribendum est *manumque levem numquam frustrata sagitta* nec cum Baehrensio *manuque levi numquam frustra acta sagitta.* Sagittam enim *frustrare* (*vereiteln*, *vergeblich senden*) eodem dictum est modo quo Theb. VIII, 704 (de telis): *pars frustrata cadunt* i. e. irrita facta. Vides verba eodem tendere quo Baehrensius voluit coniciens *frustra acta sagitta*, quasi quisquam sagittam egerit. Praeterea monendum est participio *frustratus* Statium passive semper esse usum videri: cf. Theb. VIII, 527 *nec frustrata manus mortemque invenerat hasta,* h. e. manus non est decepta vel irrita facta hasta; Theb. VI, 877 sq. *coeptis*

non evaluere potiri Frustratae brevitate manus, i. e. brevitas impedivit, ne manus quid possent comprehendere; Theb. VI, 726 *at tibi, ait, Phlegya casu frustrate sinistro*, hoc est — decepte vel impedite casu.

V. 103 *Finierat*, quod praebet *R* eumque secuta m² 103
super *Finis erat* scripsit in *B*, quin nullo modo possit ferri nullus dubito. Quamquam enim non raro fit, ut praecedente: *Dixit, dixerat, sic ait*, (*finierat*), particula copulativa desit, cum aliud sequitur subiectum: eodem tamen servato subiecto nusquam omisit particulam neque Statius neque ullus poeta Latinus melior.

Sed pro *finierat*, quod raro sic usurpatur a Statio (v. Theb. I, 283. V, 753) usitatissimum illud *dixerat* vel, id quod multo est turpius, *sic ait* restituere velle, hoc mihi quidem magis interpolare Statium videtur quam emendare.

Immo *finis erat* (cf. quae supra dixi) unam ferendam puto lectionem: cf. Stat. Theb. VI, 365, ubi poeta narrat Apollinem orsa deum aperire a Musarum circumdatum caterva. Iam pergit: *Finis erat* (sc. canendi); *differt avidas audire sorores*. Haud quidem ignoro non plane esse similem alterum alteri locum, cum hoc (Thebaidos) non ut illo verba ipsa loquentis referat poeta, tamen tam prope puto accedere ut scribendum censeam cum codd.: *Finis erat: tenera matris cervice pependit.* (*Das war das Ende: er hieng am zarten Nacken der Mutter.*) Quae omnia quia codicis antiqui testimonio confirmari volui, Mauium adii quaerens, numquid his verbis esset adscriptum. Is respondit nil esse additum, in textu extare *dempserat intenera* foedissime depravata verba. Studemundus autem qua splendet oculorum acie *Finis erat tenera* a Politiano adnotatum invenit.

V. 128 *hinc uincla R hinc* (a m² in *huic* correctum) *iuda* (*i* del. m²) *B huic iuda* (*i* exp. m²) *M*. En habes veram 128
scripturam *inda*, quae iam extat in *B* et *M*. Saepissime enim accidit ut *u* et *n*, *ui* et *in* litterae confundantur (cf. versum antecedentem). *uincla R* codicis, ex corrupto illo *incla* (pro *inda*) stulte correctum est. *Inda* autem adiectivum,

quod iam Domitius recte restituit, hic est aptissimum, quod etiam proximis versibus de rebus pretiosis dictum est ex certis regionibus petitis et Indas baccas magna floruisse celebritate notum. Qua ex re apparet Grasbergeri coniectura *blanda* (v. Fleckeiseni ann. CXV, 420) nos quidem posse supersedere.

136 V. 136. Rectissime quaerit Marklandus: »Quare *vero auro*, cum falsus sit aethrae rector?« Cui respondit languide Handius, cum ab aliis poetis Iuppiter in falsum versus aurum (velut ab Ovidio Met. V, 11) dictus sit, Statium ut Iovis in Violentillam amores magis in caelum ferret, de auro vero esse locutum itaque hic vero auro significari verum amatorem. Quae si ita essent, cur non etiam veris cornibus et veris alis verum amatorem induisset poeta? Immo, mendum hic latere perspicuum. Marklando prae ceteris placet *alio* pro *vero* coll. Sidonii carm. XV, 177

Iamque opus in turrem Danaae pluviamque metalli
Ibat, et hic alio stillabat Iuppiter auro.

Iacobsius scribi vult *puro — auro*, Burmannus ponit pro *vero iterum* (!), alii alia. Quorum audacissimas coniecturas nemo, puto, facile probabit. Sed ne Grasberger quidem (Fleckeiseni ann. CXV, 420) verum vidit, cum scripsit *crebro*. Nihil enim aliud est *crebro* quam *häufig* nulloque modo, id quod Grasberger opinatur, *iterum* illud Burmanni. Equidem una modo littera addita scribendum duco: *verso: In hanc verso cecidisset Iuppiter auro*, hoc est: *Iuppiter ut in hanc caderet, a Danae vertisset aurum.* Quod si ita est, pone post *rector* colon, ne cohaereant verba cum enuntiato condicionali. Quod cum causa fieri etiam inde elucet, quod et cum vi quadam repetitur pronomen (in hanc) et Iuppiter nominatim effertur, quamquam antecedit aethrae rector (id quod iam Handius mirabatur). Ita scribe:

Falsus huic pennas et cornua sumeret aethrae
Rector; in hanc verso cecidisset Iuppiter auro.

Iam habes enuntiationem eodem formatam modo, quo supra: *Gnosida desertam profugus liquisset et Euhan* (133).

V. 149. Quid sibi vult *flexus onyx*? Sic interpreta- 149
bantur vocem *flexus* viri docti:

Domitius: *flexus*, quoniam in varia opera flectebatur;

Forcellinius: varie elaboratus;

Barthius: torno elaboratus.

Qui ne ex hoc uno loco sapientiam suam hauserint, valde vereor. *Flectere* enim nullam aliam habet notionem nisi *biegen*, *beugen*, *wenden*, translate: *bewegen*. *Flexus* ergo significat *gebogen*, flexus onyx fortasse esset onyx flectendo elaboratus, sed quid hoc ad onychem? Accedit, quod ne apte quidem hoc loco diceretur onyx varie elaboratus vel simile quid, quia hic de diversis lapidum coloribus agitur. Quamobrem iam Heinsius quid rei esset recte videtur intellexisse, etsi haudquaquam verum restituit coniciens *fuscus* (*fletus*, quod praeterea proponit, ridiculo sane errore est ortum, cum conferret silv. I, 5, 35 *maeret* (!) *onyx longe* cf. ea, quae in exemplari Gottingensi adscripta sunt). Equidem iamdudum conieceram *flavus*, quod Statium scripsisse etiamnunc mihi est verisimillimum. Onyx lapis erat flavus, ut scimus ex Plin. 36, 8 (12), 61 »probantur (sc. onyches) quam maxime mellei coloris in vertice maculosi atque non tralucidi«.

V. 154. Etiam hoc loco m² perversum superscripsit 154
in *M*, qui exhibet *deuissa*, *RB* praebent *demissa*. In *M* latere *decussa* vix est quod commemorem, quod etiam in *a* inest. Iam Marklandus ad hunc locum affert Verg. Georg. II, 404: *frigidus et silvis Aquilo decussit honorem*; cf. Hor. epod. XI, 6 sq.: *hic tertius December* . . . . . *silvis honorem decutit*. Quos locos quin Statius imitatus sit, non est dubitandum, quamquam libenter Marklando concedas, haud prospere poetae rem cessisse; sed hoc contortum dicendi genus in carminibus Statianis non est quod miremur cf. exempli gratia v. 84 quem genuinum procul dubio nobis servavit *A vulnera fodi*, quod ut *fossam fodere* dictum vereor ut alio deprehendas loco.

Fortasse Statio in mentem venit etiam Horati locus, quem confert Luehrius (de P. Statio in silvis priorum poe-

tarum Romanorum imitatore, dissertat. Regimont. ed. a. 1880) carm. II, 15, 10 sq.

Tum spissa ramis laurea fervidos
Excludit ictus.

Denique monendum est, id quod iam Heinsius monuit (in exemplari Gottingensi), totum locum imitatum esse Claudianum (de raptu Pros. II, 103 sq.).

202 V. 202. *Quod durum permensus iter c(o)eptique laboris*
Prendisti portus.

(Sic verba tradita sunt cf. apparatum criticum.) Utcunque *coeptique laboris* coniungas sive cum praecedentibus sive cum iis, quae sequuntur, semper obliquus evadit sensus; *iter* enim *coepti laboris permetiri* nihili est. Neque minus perversum est ad sequentia trahere verba *coeptique laboris prendisti portus.* Namque quamquam hoc est tritum homines cum navibus comparari, quae exhaustis laboribus ad finem navigationis in portum veniunt, nusquam tamen invenies *portus coepti laboris prendere* simpliciter dictum pro *finem capessere coepti laboris.* Accedit quod ne licet quidem sic coniungere verba, quoniam praeeunte participio eodemque servato subiecto *que* particula prorsus est supervacanea. (Vides etiam hanc ob causam audacissimam Baehrensii coniecturam *certisque sub oris* ferri non posse.) Quae cum ita sint, necesse est verba cum *durum permensus iter* coniungenda aliter constituamus. Marklandus coniecit *coeptosque labores*, quod quidem licet coniungere cum praecedente enuntiatione, ita ut ex participio *permensus* facile sumamus verbum perficiendi vel perpetrandi, tamen displicet maxime ob languidum illud *coeptos.* Quo in vocabulo mendum latere suspicor; sed quid Statius scripserit, pro certo nemo ausit affirmare. Quae Wachsmuthius et Schoellius temptarunt supra adscripsi.

235 V. 235. Nemo *questus* vocem, quam praebent codices (cf. apparatum criticum), recte se habere sibi persuadebit. Quamobrem coniectura est opus. Scripsit Bernartius *coetu*, Marklandus *coetus* (bene collato alio silvarum loco I, 4, 115, ubi recte idem vir doctissimus pro *coetus* restituit *questus*). Marklandus interpungendum duxit:

Omnis plebeio teritur praetexta tumultu.
Hinc eques, hinc iuvenum coetus: stola mixta laborat.

Quod quamquam eleganter excogitatum est, tamen et acrius fortasse in hac narratione imago illa ante oculos ponitur et (id quod summi est momenti) stola inter equites et iuvenes mixta venustum illa quidem praebet spectaculum, sed cave putes equites hoc ipsum decere, simul cum iuvenibus matronas urgere. Quamobrem cum Bernartio scribo: *Hinc eques, hinc iuvenum coetu stola mixta laborat.* Quae ita sunt intellegenda: iuvenum coetu, qui nuptam forte domum deducendam expectantes ad portas stant, laborant domum ipsam ingressuri et equites et matronae, quae non ut Homeri temporibus *ἑστάμεναι θαύμαζον ἐπὶ προθύροισιν ἑκάστη*, sed ipsae adsunt festis. Sic si statuerimus, Baehrensi Grasbergerique flocci faciemus nugas. Baehrensius enim praeter contortam illam interpunctionem omnem rerum conexum pervertentem etiam in eo peccat, quod ab Latino dictum putat homine *iuvenumque arto* = *Gedränge der Jünglinge*; Grasberger autem ridicula sane infert, cum conicit *iuvenum cinctu* eo consilio, ut et vestimentum aliquid stolae opponatur (quasi stola, id est matrona, non respondeat equiti) et in plebeio tumultu operae indicentur, cinctu matronas equitesque urgentes. Unde autem sciat iuvenes illos nil nisi operas fuisse, unde cinctum (cf. quae de hoc vocabulo ad versum 13 supra dixi) *κατ' ἐξοχήν* operis tribui, denique multa alia unde sciat, equidem nescio.

V. 264 Non recte Handius defendere studet traditam 264
scripturam: *Nec sibi sulphureis Lucrinae Naides antris* . . . . . cum dicit:

»Gaudeat sua alumna Sebetus (!) nec minus suo decore superbiat quam Lucrinus lacus et Sarnus sua amoenitate.« Namque ubi terrarum dicuntur superbire Lucrinae Naides antris? immo dicitur: sibi placeant: hoc est contentae sint suis rebus, sat frigide sane positum prae ardenti illo *tumeat*; deinde quis umquam dixit *Pompeiani Sarni otia sibi placeant* pro *Pompeianus Sarnus otio gaudeat vel tumeat*? Rectissime igitur restituit ed. Parmensis *tibi*:

Nec tibi sulphureis Lucrinae Naides antris
Nec Pompeiani placeant magis otia Sarni;

quae ita cum antecedentibus verbis cohaerent: Neapolis (tellus et Sebethus flumen) gaudeat alumna, quae idcirca prae ceteris pulchris locis Neapolim debet amare.

Iam postquam singulas, quantum ad nos, stabilivimus lectiones, nonnulla quae magis in universum spectant tractare in animo est. Velut quaeramus quid de Stella et Violentilla, de quibus hoc carmine agitur, compertum habeamus.

Atque de Stella quidem omnia, quae Teuffelius (litt. hist. Rom.[3] § 323) congessit, recte se habent itaque verbum non amplius addam.

De Violentilla autem facere non possum, quin pauca disseram. Atque primum quidem moneo Violentillam secundum codices nomen esse scribendum, quamquam Marklandus dissentit atque etiam Teuffelius nomen affert Violantillae l. c.: eodem enim modo formatum est a viola violentus(a) violentilla, quo a rosa exempli gratia rosulentus (a), ut me docuit Zangemeister, ideoque recte Ianthida nominat Martialis Violentillam (VI, 21). Praeterea nomen Violentae, quod quidem in inscriptionibus latinis non inveni, occurrit apud Shakespeareum in fabula illa sine dubio ex Boccaccio sumpta, quae inscribitur »*All's well that end's well*«:

Violenta } neighbours and friends to the widow.
Mariana }

Violentilla igitur primone an secundo nubit viro? Handius (ad v. 138) virginitatis Violentillae vehementissimus extitit patronus. Et concedamus Handio *thalamum secundum* (v. 138) per se significare posse thalamum felicem, *viduos annos* (168) caelibes, viro omnino carentes annos; sed cogita modo maerentem negare Violentillam thalami secundi iuga, iam vix credas felicitatis notionem inprimis urgeri. Clariorem etiam v. 164 affert lucem: verba enim *quis morum fideique modus* equidem aliter non possum interpretari nisi »quousque tam anxie tenere studes mores (*Sitte*) et fidem, id est fidem illam, quam marito priori devovisti«, ut iam Barthius declaravit. *Fides* enim nequaquam intellegenda est, id quod Handio

satis notum videbatur, *constantia et firma persuasio* (!), sed constantia, quae inde probatur, quod promisso statur. Hanc fidem non tam a virgine quam a muliere servatam esse patet. Atque ut hoc loco a fide recedendum esse censet poeta, ita alio, quem apte cum hoc contuleris, Priscillam coniugem ob hanc virtutem laudibus effert (silv. V, 1, 64 sq.):

Nec frons triste rigens nimiusque in moribus horror
Sed simplex hilarisque fides .....

Statium autem consulto ambigue vel tecte de priore dixisse conubio, cum Violentillam puellam canere vellet, fugit Handium negantem de femina iterum nubente vix posse fieri talia verba: *numquamne virili summittere iugo?* (164 sq.), *satis o nimiumque priores Despexisse procos* (169 sq.), *ne mollem uterum, ne stantia laedas Pectora* (270 sq.), *tandem merito possessa marito* (274). Omnino cogites quaeso Statios rem verbis augere et cumulare adamasse, non difficiles ac morosos unum quidque ad obrussam exegisse.

Restat ut pauca dicam de Plutarchi quaest. Rom. (CV), qui locus prae ceteris demonstrare videtur, viduis sine pompa nuptias celebrandas esse: *ὅθεν ἡσυχίᾳ χαίρουσι μᾶλλον ἢ θορύβοις καὶ προπομπαῖς.* Quod si re vera plerumque accidit, tamen nulla, quantum equidem scio, extat lex, qua viduae iterum nubentes caerimonia magna uti vetantur; quamobrem haud raro factum esse, ut magna cum pompa matrimonium inirent, non est cur negemus. Denique ex Plutarchi verbis ipsis: *ζηλωτὸς γὰρ ὁ πρῶτος γάμος, ὁ δὲ δεύτερος ἀπευκταῖος* elucet, quo iure Violentillam viduam poeta dicat maerentem nuptias negare.

Exemplis autem, quae affert Marquardtus*), me quidem sentiente non probatur etiam posteriore tempore »offendisse« aliquem in altero conubio. Poterant enim praedicari *univirae* (praedicanturque etiam nunc mulieres per longam seriem annorum uni coniunctae viro) neque tamen vituperabantur viduae iterum nubentes.

---

*) Privatleben der Römer I, 41, 2.

Quibus rebus expositis restat, ut totum carmen quomodo compositum sit accuratius examinemus:

In medias res nos statim inducit poeta pompamque depingit nuptialem in Violentillae Stellaeque honorem, cui di ipsi adsunt vel propinquant. Ita veniunt Musae, Elegea, veniunt Apollo, Bacchus, Mercurius, Amor, Gratia in Violentillae domum simul cum Venere, quae pronuba nuptam ducit torosque et sacra parat. Iam Stellae aperte frui licet, cuius desiderio flagravit. Hanc felicitatem ut in caelum efferat, comparationibus utitur poeta ex fabula repetitis (V. 1—45).

Caerimoniam in Violentillae domo celebrari ex eo apparet, quod traduci hoc loco nuptam viro apertum est*). Quod vero Musae introducuntur sollemnem ignem et vocalem undam ferentes, noli putare iam accipi aqua et igni nuptam in domo mariti**). Namque Musae afferunt signa illa, quibus utantur mariti. Similiter Venus dicitur lectum genialem (toros) parare, ad quem vespere nuptam ducebat pronuba, (quo de usu v. praecipue epithal. Laurenti, quod in Claudiani carminibus circumfertur, inde a versu 64 sq.). Sed quo modo ad hunc nuptiarum diem perventum sit, Erato, quippe cui amores sint cordi, enarret, dum atria complentur hominum multitudine et magistratus limina fascibus pulsant (46—50).

Sic a poeta rogata tam fuse illa omnia narrat, ut de his rebus longe maxima totius carminis agatur parte (51—200). Venus enim gravibus Amoris filii precibus, quibus inserit ille Stellae iuvenis laudes, commota, cum eadem haud pauca ad laudandas Violentillae clientae suae virtutes protulerit, puellae animum vertere constituit (51—140). Quamobrem curru, quem trahunt olores, a filio vecta in Violentillae domum, quam pro virili parte laudibus efferre studet poeta (147—157), sat copiosis et disertis verbis declarare conatur, quam pulchrum sit matrimonium, quam necessarium (162—193), quo efficit, ut puella sibi dura videatur (194—200). Iam poeta

*) Rossbach, Untersuchungen über d. röm. Ehe 293 sq.; Marquardt l. c. 45 sq.

**) Rossbach l. c. 361. Marquardt ib. 54.

rem tam subito felicissime conversam non potest non quam maxime celebrare (201—218) atque ad augendos amici honores addit allato de Violentillae promisso nuntio Apollinem et Bacchum statim iter parasse, quin etiam caras inisse fores (219—228); id quod vespere videtur factum esse eius diei quo nuptiae celebrantur. Nam prius quam die nuptiarum ipso eos advenisse apparet ex verbis, quae sequuntur: *Vix dum emissa dies* . . . . . atque ex v. 17 sq., ubi hoc die Stellae cum Mercurio serta ferunt, id quod nequaquam 225 sq. faciunt.

Ita poeta postquam omnia enarravit, quae ante diem nuptialem gesta sunt — communem operam deorum, Violentillae votum, adventum Apollinis et Bacchi — iam inde a versu 229 ea depingit, quae quam initio carminis vidimus caerimoniam, praecesserunt — auspicia, quae mane observata esse notum*), totumque omnino apparatum, quo splendet utraque domus. V. 233 autem prorsus redimus ad ea, quae v. 47 sq. reliquimus. Namque ut v. 48 de multis magistratibus ad domum Violentillae venientibus dictum est . . . . . *et multa pulsantur limina virga*, ita hoc loco: *Omnis honos, cuncti veniunt ad limina fasces* (ita quidem multo aptius cum ceteris, qui de hoc loco scripserunt, *virga* interpreteris *fascibus*, quam si cum Rossbachio statuas (l. c. 335) multitudinem maritos expectantem impatienter limina pulsare virgis).

Sequentibus versibus acriter oculis obversantur ii, qui ante portas stant expectaturi sive ingressuri.

In domo ipsa autem sunt testes, qui *utrosque felices* vocando maritos congratulantur (de *feliciter, felicia* vocabulis vid. quae adnotavit Marquardtus l. c. 51).

Deinde ubi dextras iunxerunt mariti — neque enim quidquam aliud significare possunt verba:

dat Iuno verenda
Vincula et insignis geminat Concordia taedas —

caerimoniam illam describere desinit poeta nil nobis de cena narrans, quam plerumque in domo sponsae celebratam esse

*) Marquardt l. c. 45.

certis nixus exemplis rectissime contendit Marquardtus (l. c.). Sub finem epithalamii proprii loco, quod Hymenaeus ipse canere »quaerit«, nonnulla de novis maritis Statius addit. (233—277.)

Quibus rebus praemissis breviter hic adpingam carminis conspectum:

A. Caerimonia nuptialis in Violentillae domo describitur (1—45).
  1—23. Violentilla Stellae traditur dis adiuvantibus.
  24—45. Summa Stellae praedicatur felicitas.
    46—50. Traducunt animum ad accuratius intellegendum, quomodo haec orta sit felicitas.

B. Quae ante diem nuptialem gesta sunt enarrantur (51—228).
  51—200. Venus et Amor efficiunt, ut Violentilla tandem sibi dura videatur.
  201—228. Iterum Stella laudatur, quod et virgo nuptias adnuerit et di ipsi ad has celebrandas advenerint.
    229—232. Iterum traducunt vel reducunt legentem ad caerimoniam, quam initio reliquimus, cum enarrant quae hanc praecesserunt.

C. Res porro tractatur et absolvitur (die nuptiarum) (233—277).
  233—241. finis caerimoniae.
  242—277. epithalamium proprium.

Vides carmen artificiose compositum, quale eo confidentius Statio ipsi tribuo, quod ego nullo commotus pruritu versuum sibi respondentium depingendi imaginem, cum solum respicerem rerum ordinem et conexum, in hanc incidi distributionem.

Atque haec quidem nuptias celebrandi ratio, qua id agitur ut carmen non modo comparationibus ornetur ex fabula undique repetitis, sed etiam deorum ipsorum splendeat prae-

sentia, Statiani epithalamii illustri exemplo stabilita videtur atque sancta esse. Claudianus certe (carm. X. XXXI) et Sidonius (carm. XI)*), Dracontius carm. min. VI. VII, Luxorius (Anthol. Lat. R. 66—68) hunc secuti sunt morem. Solus Laurenti epithalamii auctor aliquam in partem rebus fabulosis se abstinuit atque res, ut sunt, simpliciter neque ineleganter tractavit. Quam vero toto caelo haec artificiosa artificiosi temporis carmina differant ab carminibus Sapphus (quantum nos quidem ex frustis heu! miserrimis elicere licet), Theocriti (XVIII), Catulli (61. 62. 64), magnae Lesbiae non solum imitatoris, sed interdum aemuli, res nuptiales laeto atque vario ingenii splendore celebrantium — hoc quidem per se perspicuum, sed ut magis oculis subiciatur, nunc age comparemus Theocriti id. XVIII, quod ante thalami fores, quibus Helena et Menelaus includuntur, virgines canunt, Helenae amicae, cum extrema Statiani carminis parte, quam supra epithalamium nominavi.

Ad celebrandam nuptae pulchritudinem, quo munere venustissime funguntur Theocriteae illae puellae, cum similia sumunt ex natura (cf. 26 sq.) aeque ac Sappho et Catullus, fabulosas Statius congerere studet comparationes, quibus non solum hoc loco, sed sexcenties in silvis utitur eo consilio ut id quod cum tali deorum vel heroum genere comparatur, ad caelum ferat**). In hoc carmine cf. v. 38 sq., 85 sq., 115 sq., 130 sq., 213 sq., 244 sq.

Deinde pro laeto illo choro alacri cum venustate Helenam et Menelaum re vera concinente, hic habes poetas, quos Statius adhortatur, ut versus faciant in honorem Stellae et Violentillae, quia Stella ipse sit poeta, Violentilla sibi ipsi popularis; quae omnia longe narrantur.

Denique sub finem Theocritus a Latona, Venere, Iove petit, ut novis maritis dent: *εὐτεκνίαν, ἶσον ἔρασθαι ἀλλήλων, ἄφθιτον ὄλβον* atque adiungit lepidissimum nuptiale,

*) V. Purgold, Archaeologische Bemerkungen zu Claudian u. Sidonius p. 77 sq.

**) Quibus de comparationibus cf. Purgoldium l. c. 93 sq. qui huius carminis v. 117 sq. et 131 sq. monumentis bene illustrat.

ut ita dicam, *βαυκάλημα*, cum Statius Lucinam solam precatus de partu iusto plus loquatur nude acerbeque.

Nihilo minus Stati carmen et omnibus posterioris temporis epithalamiis quod praeferatur dignum est et inter silvarum carmina haud spernendum occupat locum, quamquam nullo modo ea floret iucunditate arteque perfecta depingendi, ob quam etiam poetarum nostrorum princeps istum versificatorem coram Handio laudare non dubitavit*). Sed id quod summum est, ex hoc epithalamio luculentissime apparet, quomodo homines aetatis suae nuptias celebrari voluerint, ita ut recte Brunnius hac ecloga in interpretando sarcophago Monticelliano nunc Petropolitano usus sit**). Namque ita prosperrime res nobis cedit, si acriter, ut archaeologos decet, monumenta interpretati ad melius cognoscendum, quae fuerit illius aetatis cogitandi dicendique ratio, ad scriptores fugimus ab illis temporibus non multum remotos. Quod a Brunnio monitum certisque stabilitum exemplis Purgoldius cum summum sequeretur praeceptorem, optimo cum fructu insignique cum elegantia in libello illo, quem supra laudavi, adhibuit. Quorum virorum ex opera quamquam etiam ad hanc eclogam aliquid redundavit, tamen haud pauca supersunt, quae accurate tractentur necesse est, praesertim cum Rossbachius***) rem non dico ad certum non perduxerit finem, sed ne ita quidem tractaverit, ut archaeologi est (id quod iam Brunnius, *Sitzungsber.* l. c. graviter monuit). Namque Rossbachius etsi sarcophagos ad nuptias pertinentes diligenter congessit atque in eum redegit ordinem, cui in universum assentiendum est, tamen ubi exemplis demonstrare vult Romanae artis interpreti Graeca exemplaria semper adhibenda esse, mirum quantum persaepe aberravit. Quamobrem perquirere in animo est, quomodo Graeci artifices nuptias effinxerint, quo edocti diiudicare possimus in sarcophagis nuptialibus

---

*) Hercules Epitrapezios ed. Handius p. 7.

**) Annali dell' inst. 1844, 194 sq.; cf. Sitzungsber. d. bair. Akad. 1875, I, 26 sq., Purgold l. c. 78 sq.

***) Röm. Hochzeits- u. Ehedenkmäler.

sculpendis quid Romani aut totum sumpserint aut transformaverint aut ex suo addiderint.

Atque in hisce rebus pervestigandis eo magis hoc carmine uti possumus fundamento, quoniam et Statius et artifices mirum fere in modum conveniunt. Habes apud Statium similia fabulosa ad satietatem congesta; in sarcophagis deos vel heroas mortuorum vultus prae se ferentes. Videsis quae de hac re supra scripsi, quibus adde Stati locum silv. V, 1, 231 sq.

mox in varias mutata novaris
Effigies: hoc aere Ceres, hoc lucida Cnosis,
Illo Maia tolo (?), *Venus hoc non improba saxo.*
Accipiunt vultus haud indignata decoros
Numina.

Neque minus in hoc consentiunt, quod deorum praesentia nuptiali pompae maiorem sibi videntur addere splendorem. Quibus de dis si nunc pauca iuvat disserere, unde melius ordiar quam ab iis, quibus quin summa totius caerimoniae cordi sit, non est dubium — Iunone et Venere?

Venus enim pronubae loco nuptam viro traducit, Iuno autem Iuga duos coniungit maritos. Quod quomodo in sarcophagis effictum sit iam videamus, si placet. Sed priusquam ad id ipsum accedamus, cognoscere in rem est — id quod nobis proposuimus — qui Graecus fuerit mos huius caerimoniae repraesentandae.

Atque primum quidem occurrit vas Volcis repertum ab Helbigio editum atque enarratum.*) Helbigius veri reddidit simillimum non Paridis de deabus iudicium, ut antea existimarunt viri docti, sed pompam pictam esse nuptialem, in qua nupta promoveretur a femina sequente, quae dextram poneret in umero eius, salutaretur a femina illa, quae ante eam staret malum floremque tenens, expectaretur ab iuvene, qui baculo niteretur. Nuptam praeterea indicari et velamento et corona (!) et eo quod sinistra manu vestem caperet, id quod

*) Mon. dell' inst. VIII, 35; Annali 1866, 450 sq., ubi quae ex re sunt congesta invenies; tabulae, quam adieci, fig. 1 = Overbeck, Gall. her. B. tab. X, 6.

facere solent »dulci probitate rubentes« nuptae. Cui prorsus assensus est Brunnius*). Sed in hac re acquievere viri doctissimi certaque his figuris indere veriti sunt nomina. Attamen pictor ipse flore et malo nonne Venerem significare voluit feminam nuptae oppositam? Altera quidem quae sponsam sequitur mulier non potest certe nominari, sed omnes στεφάνῃ ornatas esse vides, qua hoc tempore quin deae cognoscendae sint, non dubitem. Qua de causa et quia homo mortalis videtur, Pelei et Thetidis suspiceris nuptias. Peleus enim iuvenum more etiam sine certis insignibus hoc tempore pingebatur. Thetim autem pictor fortasse non intellexit, cum delphini loco coronam poneret.

Cui imagini proxima est aetate vasis cuiusdam Atheniensis**). Hic sponsa capite velato producitur a femina quadam et iuvene, cum iuvenis manum eius cepit captamque secum ducit caput ad sponsam retro vertens; femina eam sequitur duas manus in corpore eius ponens, laevam in umero, ut antea vidimus, dextram ita ut cubitum fere attingat. Has nuptias ad certam pertinere fabulam, quamquam figurae non ita sunt distinctae, ut certe possint appellari, et ex eo patefit quod sponsus herois ritu est vestitus et ex eo quod di accedunt Artemis et Apollo, quos non magis quam alios deos quibusvis nuptiis humanis cotidianae vitae faventes ut deos γαμηλίους esse pictos praefracte nego, quoniam nullum huius rei extat exemplum.

Praesentes namque ante domos invisere castas
Heroum et sese mortali ostendere coetu
Caelicolae nondum spreta pietate solebant.

Simillime nupta a pronuba manu capta promovetur in vase Rubis reperto, quod Ritschelius publici fecit iuris atque enarravit***). Nuptam Hippodamiam esse, quam nutrix Pelopi traducit, apertum est.

---

*) Sitzungsber. d. bair. Akad. 1868, 46 sq.

**) Stackelberg, Gräber d. Hell. tab. XXXII; Müller-Wieseler, D. a. K. II, 17, 182 = huius tabulae fig. 2.

***) Ann. dell'inst. 1840, 171 sq. tav. d'agg. N = Opuscula I, 795 sq. tab. II = fig. 3.

Iam transeamus ad anaglypta. Primum locum teneat puteal illud Corinthium*), quod quidem non sat certum est re vera tam antiquum esse quam primo obtutu videtur. Hic caerimoniam nuptae prosequendae eodem fere modo vides repraesentatam quo in vase Atheniensi, nisi quod femina, quae nuptam promovet, laevam modo collocat in brachio eius, cum dextra artificiose neque inelegante vestimentum tollat, figura autem antecedens nuptamque producens femina est, quae tamen eodem modo ad nuptam retrospicit (si formas sequi licet apud Overbeckium l. c. delineatas). Quae producitur sine dubio est Hebe duaeque feminae Aphrodite in dextra parte, in sinistra Peitho.

Nonnulla fragmenta ex terra cocta, quae vocatur, similem ostendunt nuptae ducendae ritum**). Singulas imaginis partes, quas Campana composuit, cum Stephanio***) in suspicionem non vocaverim, quoniam Rohdeni beneficio edoctus frequentia scio in variis museis uniuscuiusque partis inveniri fragmenta, rariora huius deductionis nuptialis. De qua pauca nunc addam. Etiam hic nova nupta, multo magis velata quam supra vidimus, promovetur a femina, quae manum eodem modo in umero ponit, sed caput *στεφάνῃ* ornatum a nupta ad pompam vertit sequentem (quattuor Horas et Herculem iuvencum ad sacrificium ferentem). Iam enim ad maritum ventum est, qui dextra capessit dextram puellae. Vides igitur hoc loco primum dextrarum illam iunctionem apud Romanos usitatissimam in opere, quod primum sculptum esse Alexandrino tempore cum totum demonstrat genus fingendi tum quattuor illae Horae, quae *ἰδίους φέρουσαι κάρπους* primum apparent in pompa Ptolemaei Philadelphi†). Neque id mirum; namque dextras iungendi usus foederis mutui inprimis signum††) in

*) Gerhard, A. B. tab. 14—16; Overbeck, Gesch. d. gr. Plastik I³, 142 = fig. 4.

**) Bartoli, Admir. 57; Guattani, M. I. 1785 Aprile, tab. III, 3; Campana, op. plast. pl. 60—62, qui id genus reliquias perfectissime collegit; ex Campanae tabula repetita est fig. 5.

***) Compte-rendu 1861 p. 89, adnot.

†) Purgold l. c. 56.

††) de toto illo usu v. Stephanium doctissime disserentem l. c. 70 sq.

nuptiarum perpetuum foedus praeclare cadit atque humanae adeo convenit naturae, ut non minus Graecis quam Romanis fuerit proprium, etsi concedendum est Romanos hanc caerimoniam ut summam ieiune in medio posuisse.

Hanc imaginem ad Pelei et Thetidis nuptias referre non dubito, quamquam dissentit Stephanius, qui iusto plus similitudinem illam neglexit, quae re vera inter hoc anaglyptum intercedit et notissimum illud, quod in villa Albanensi adservatur*).

Femina autem nuptam prosecuta magis ad formam Veneris quam Iunonis videtur expressa.

Cui pompae nuptiali adde mulierem tertiam retrospicientem vel ad sponsam versam, quam supra vidimus, et habes imaginem in primo, quem tractaturi sumus, sarcophago sculptam Vaticano**). Hic figuram illam, quae dextram ponit in umero nuptae, diademate ornatam, Venerem recte dicas, quamquam non ea splendet maiestate, qua Venus illa, quam modo vidimus. Alteram autem (vel tertiam) feminam, quae media inter maritos stans capite ad nuptam verso dextrum brachium porrigit sponsam deductura viro, qui iam dextram iungit dextrae, hanc Iunonem puta. Namque etsi facies ipsa apud Guattanium nil potest probare, tamen status atque vestimentum Iunoni sunt propria; optime cum hac comparari potest dea, quae media inter Iasonem et Creusam stat in

---

*) Zoega b. r. 51. Cuius anaglypti de figura aliqua suspicionem quandam hoc loco addere liceat. Femina enim illa in sinistra parte post arborem longo induta vestimento στεφάνην gestans in crinibus manuque corollam (ut Zoegae quidem videtur), quam Amor duabus manibus amovere studet, quae esset nequaquam inter viros doctos convenit. Discordiam non esse perspicuum. Namque 1) deest malum, 2) non summota est illa dea, sed re vera venit ad nuptias; malo autem in deorum contionem deiecto non iam opus erat eam summovere. Zoegam recte puto vidisse partem modo esse maioris imaginis has duas figuras, deesse, quae antecessissent. Itaque Thetim suspicatur ab Amore novo traduci marito. Sed unde artifex figuras illas sumpserit, apertum videtur, si comparas sarcophagos Lunam repraesentantes ad Endymionem vectam, prae ceteris Lateranensem illum (Benndorf-Schoene, Die ant. Bildwerke d. Lateran. Museums 54. Conze, Vorlegeblaetter II, tab. 12 No. 5), qui eodem fere modo exhibet Lunam ab Amore promotam.

**) sala delle Muse. v. Guattani, M. I. 1785 p. 61 = fig. 6.

sarcophago Parisino*). Habitu enim fere eodem est, sed in dextram vertitur partem neque brachium porrigit; aliquam in partem similis est Iuno in alio sarcophago Medeae nuptias repraesentante, qui nunc quidem ubi sit, incertum, antea in Lancelotti aedibus erat**). Qua re patet deam quoque sarcophagi Petropolitani***), quae similiter brachio porrecto nuptam viro traducere videtur, Iunonem esse vestemque liberius quam pro dea matronali formatam cum Brunnio artificis artificiosae tribuendam esse elegantiae. Venerem, quam primo obtutu eam dixeris, non posse appellari vel ex eo apparet, quod Venus nuptam sequitur cum Amore; quae dea praecipue Veneris prae se fert cultum in sarcophago Vaticano (*Belvedere*) huic simillimo†).

Omnes reliquos si perlustraris sarcophagos, invenies Iunonem non iam liberiore Graecorum modo repraesentatam, sed severe et acerbe mediam inter duos maritos recedentem, ita ut manum utramque in umeris eorum ponat (sic saepissime) aut neutram; aut (id quod perrarum) dextram collocet in umero unius tantum, cuius formae duo novi exempla††), cum modo ad sponsam, modo ad virum versa videtur, plerumque tamen totam ostendit faciem.

Restat, ut pauca de puella addam, quae nuptam prosequitur. En habes fere semper puellam humani generis, quae tamen iam vestimento aliquam in partem ab cotidiano genere Romano removetur. Induta est enim veste, quae de laevo umero (sic saepissime, quoniam nupta in sarcophagis plerumque in dextra stat parte) lapsa in laevo brachio fibula tenetur atque persaepe laevo brachio prope a manu iterum excipitur; manus porrecta non in umero posita est sed lateri nuptae quasi adlabitur tenere eam promotura. Cui puellae respondent in altera parte saepe unus duove viri maritum

---

*) Clarac M. de sc. II pl. 199, 210; Matz, Monatsber. d. berl. Akad. 1871 p. 493, 215.

**) Matz l. c. 494, 217.

***) Mon. dell' inst. IV, 9 = fig. 7.

†) Gerhard A. B. LXXIV.

††) Matz, Antike Bildwerke in Rom 3095 = Bull. della com. comun. 1877 tav. XVIII; Matz ib. 3099.

secuti paranymphi, si originem spectas, procul dubio Graeci, si cultum, Romani*).

Quibus expositis elucet artifices Romanos pro femina (vel iuvene), quae (qui) nuptam marito deducit (in imaginibus Graecis) Iunonem finxisse, ut appareret Iunonem (Iugam) summam omnino nuptiarum deam**) ipsam maritos coniun-

*) Marquardt l. c. 48.

**) Hanc non minus apud Graecos quam Italos Iunonem fuisse apertum est, sed non minus apertum, non recte Reifferscheidium iudicasse (Annali 1867, 352 sq.), cum Herculem Iunonis maritum fuisse demonstrare vult. Qua de re paullo accuratius disserere in animo est, quia etiam Studemundus (Würzburger Philologenversammlung 1868, 126) Reifferscheidium secutus est. Neque enim sequitur ex eo, quod Herculès virorum genius, mulierum Iuno erat, ambos matrimonium inisse; neque ex eo, quod ut dis coniugalibus Pilumno et Picumno in aedibus lectus sternebatur liberis editis, ita Iunoni lectus, Herculi mensa ponebatur, concludere licet praeter Iunonem Herculem coniugalem fuisse deum. Immo Hercules genii loco his utebatur honoribus, cum puerum inde a partu per totam comitaretur vitam itaque etiam in nuptiis locum haberet, sed ita tantum ut Iordanus de genio dixit, Vesta und die Laren (Winckelmannprogr. Berlin) p. 16: »Er ist der Erzeuger des Geschlechts nur in so fern als er den Mann beseelt, der auf dem lectus genialis mit der Frau sich vereint.« Cui rei optime convenit, quod Iuno illa quidem et Pilumnus Picumnusque in indigitamentis ut di coniugales memorantur, nusquam Hercules. Nihilo minus si probare vis Herculis Iunonisque nuptias, ex artis operibus repetas necesse est argumenta tam certa ut nihil supra possit. Quod nequaquam fecit Reifferscheidius. Qualia enim affert, prorsus sunt futilia neque commemoranda quidem praeter duo, quae praecipue urget — dico speculum Etruscum (Gerhard E. S. 147) et anulum Watertonianum (Annali l. c. tav. d'agg. H, i). Atque speculi quidem imago nullo modo ad nuptias pertinet, quod et dextrarum iunctio vel omnino alia quaedam coniunctio (cf. monum. Etruscum a Brunnio enarratum Mon. dell' inst. VIII, tab. 18 sq.) desideratur et ramo oleagino, quem offert Iuno, Iovis coniux (id quod iam toto statu apparet) procul dubio salutatur Hercules in Olympum ingressus. Membra autem virilia et feminalia ad Terminum spectare et Iuventatem, omnino Iovem Terminalem et virum et feminam una fuisse, Gerhardus ostendit (Akad. Abhandl. I, 291 sq.), ita ut non videam quare hoc uno loco aliud statuendum sit. Anulum autem nuptialem esse neque per se probatur neque eo quod Iuno Lanuvina et Hercules tam mire coniunguntur. Namque ex hoc uno sigillo Etrusco tantum abest, ut de Italico ritu nuptiali aliquid concludere possimus, ut ne liceat quidem nosse, qualem imaginem anuli illius opifex excerpserit.

gere: atque primum quidem Iunonem Graeco magis formatam more (cf. quae supra dixi), deinde, ut manifestius fieret, quam arte Iuno vincla illa daret, Iunonem manus ponentem in maritorum umeris.

Pro femina autem illa altera aut Venerem ipsam fecerunt nuptae comitem, qualem etiam Statius: testes sunt sarcophagus Vaticanus (*sala delle Muse*), ubi Graeco plane ritu nuptam promovet, Neapolitanus*), ubi crines nuptae componit — quibus in sarcophagis Venus quodammodo a maiestate sua recedit atque »*nova gestit minor ire marita*« — Petropolitanus et Vaticanus (*Belvedere*), ubi Venus adstat cum Amore; aut (id quod longe usitatissimum est) puellam, de qua supra dixi. Hanc Rossbachius ex Peithus (Suadae) forma ortam esse putat, eumque nonnulli sunt secuti, me quidem non assentiente. Namque primum apertum est puellam deae prorsus esse dissimilem, deinde vidimus nullo modo eandem semper hoc loco apparere deam in Graecis monumentis; quin etiam in antiquo illo vase Atheniensi**) hanc feminam humanam esse. Qua de causa hoc mihi videtur veri esse simillimum: Graeca erat procul dubio femina, quam primum fingebant in nuptiis certa quadam fabula celebratis, velut in sarcophago Florentino***), ubi Admeto Alcestin illa traducit. Hanc igitur, quam aptissime ministram interpretere, ad suas nuptias sumpserunt Romani.

Quae cum ita sint, si quis ex pompa nuptiali, qualis in sarcophagis modo occurrit, colligere sibi videtur, quomodo vitae apud Romanos cotidianae ritus fuerit nuptialis, eum valde errare apparet. Neque enim sic inter maritos stabat pronuba humana, neque puella sic prosequebatur feminam.

Sub finem iuvat suspicari, quo tempore Iunonem in umeris maritorum manus ponentem fingere non dico inventum sit, sed in usum venerit.

---

*) v. quae de eo in fine adnotabo.
**) tab. fig. 2.
***) Arch. Zeit. 1875 tab. IX.

Nummos enim cum respexeris, mediam inter duos homines, qui dextras iungunt, figuram non prius invenies quam Hadriani temporibus. Quem enim Stephanius*) laudat nummum, in quo Vespasianus et Titus dextras iungant media adstante Pietate, cum apud Haverkampum et Morellium solos extet, nullius est momenti. Hadrianus igitur et Aelius in nummo, quem dixi, adversi stant, cum media femina recedat, quae Concordia cum causa nominatur, quia et Concordiae datus est nummus et (id quod summum est) duo viri dextras iungunt.

Primus autem qui ad nuptias referendus est eius modi nummus, M. Aurelio imperatore percussus est**). Hic Faustina et M. Aurelius dextras iungunt, cum Iuno inter eos stat dextro porrecto brachio feminam viro traditura (cf. quae de hac Iunone supra dixi): ipsa tamen non ad novam nuptam, sed ad virum vertitur.

Neque ullus sarcophagus nuptialis hanc excedit aetatem. Qui proxime accedit ad hoc tempus sarcophagus Petropolitanus (ut enim Kieseritzky benignissime mecum communicavit a Duhnio rogatus, circiter anno 170 factum eum esse certis probatur causis). Iunonem eodem fere modo sculptam praebet quo nummus, cum sarcophagus Vaticanus (*Belvedere*) me quidem iudice frater, ut ita dicam, multo minor natu, deam exhibeat manus in umeris ponentem. Quam formam, si quidem nummos sequaris, iam inde a Commodi temporibus in usu fuisse non sine causa contendas***).

Quibus rebus satis superque disputatis iam ad ceteros transeamus pompae illius Statianae deos. Atque de Hymenaeo quidem et Amore, quorum saepissime Amor ille puer Hymenaei loco cum face ad pedes maritorum stat, nihil dicam, quia haec omnia in propatulo sunt. Sed Gratia, quae quidem apud Statium non cessat,

---

*) l. c. 106, adnot. 8.

**) Cohen, descr. hist. de monn. II, XV, 810 = fig. 8. Rossbach, Röm. Ehedenkm. 24, 2.

***) cf. Commodum et Crispinam a Iunone iunctos: Cohen, III, pl. IV, 2 = Froehner, Médaillons p. 147; Elagabalum et Aquillam Severam: Cohen III pl. XVI, 8.

Amplexum niveos optatae coniugis artus
Floribus innumeris et olenti spargere nimbo,

num ab artifice in pompa nuptiali efficta sit et quomodo occurrat, nunc quaeramus. Adsunt aut in fronte aut in lateribus sarcophagorum persaepe tres (in uno Vaticano (*Belvedere*) propter locum angustum duo) figurae certum in modum vestitae — veste, quae in umeris fibulis tenetur binaque denudans brachia fascia vincta est, ita ut sinum efficiat — atque semper officium aliquod praestantes, cum sive monilia, vas olearium, flores (?), speculum novae nuptae afferunt, sive ad sacrificium nuptiale portant, quae opus sunt: fructus, simpulum, acerram, volumina, alia, qua in re etiam camillorum ritu cinctae apparent*). Feminas enim camillos esse affirmat Duetschke atque iam Gerhard figuram persimilem in sarcophago Vaticano (*sala delle Muse*), quae simpulum fert et acerram, feminam esse contendit**). Nihilo minus num re vera feminae sint, non est certum; fortasse ab sacrificii Romani imagine, in qua tales camilli saepius occurrunt, mutuatae locoque feminarum, quae Gratiae vocantur, sunt positae. Omnino hoc est imprimis tenendum artificem Romanum compositionem interdum suo arbitrio mutasse atque pro certis figuris, alias posuisse aliunde furatum, ita ut nunc quidem saepe difficillimum sit certum unicuique indere nomen vel potius indagare, unde sumptae sint. Quod quidem de tribus feminis, ut puto, nobis contigit, quae Gratiae nominantur neque tamen Gratiarum prae se ferunt cultum.

Gratias atque Musas, quas Statius introducit aquam et ignem ferentes, ab antiquissimis temporibus nuptiis adesse tritissimum est***) neque huius rei satis superque laudata repetam exempla. Hoc tamen moneam vel eo quod accedunt Musae Gratiaeque magis interdum nos ad nuptialem adduci sensum.

---

*) in sarcophago Pisano Lasinio scult. d. campo S. CII, Duetschke, Bildwerke in aOberitlien I, 41. in Mantuano Labus Mus. Mant. I, XVII, Duetschke l. c. IV, 748.

**) Gerhard, Beschr. Rom's II, 2, 220.

***) De Gratiis nuptialibus v. Iahn, Denkschr. d. Wiener Akad. 1870 p. 33 sq.

Velut in vase illo pulcherrimo Monacensi, de quo Iahnius egit *), Iasonis et Medeae intellegendae sunt nuptiae, quibus Musae adsunt non, quales recentiores repraesentare solebant artifices, signis distinctae, sed liberiore modo formatae ut cantantes et ludentes deae **).

Neque minus in vase quodam Neapolitano ***) Musae in ima imaginis parte pleraeque sedentes efficere mihi videntur simul cum Diana illa dea nuptiali †), ut cognoscamus Adonim in lecto stratum Venerique redditum, sed brevi rediturum, qualem depingit lepidissimum Theocriti idyllion XV, cf. 84 sq. *αὐτὸς δ' ὡς θαητὸς ἐπ' ἀργυρέας κατάκειται*
κλισμῷ πρᾶτον ἴουλον ἀπὸ κροτάφων καταβάλλων
ὁ τριφίλητος Ἄδωνις ὃ κἠν Ἀχέροντι φιλητός.

Sed iam ad alia transeamus artificum opera, in quibus cur Musae Gratiaeque adiectae sint non potest esse dubium. Atque primum quidem perlustremus anaglypta Helenam repraesentantia, cui Venus assidens persuadere studet, ut Parim sequatur, Phrygiumque illum adstantem, cui *Ἔρως* Helenae amorem insusurrare videtur ††).

Omnium praeclarissime hanc fabulam repraesentat proximeque accedit ad archetypum anaglyptum Neapolitanum, id quod praecipue manifestum fit, si comparas Vaticanum †††), in quo et figurae singulae valde in peius mutatae videntur et Apollinis statua addita est ad simulacri antiqui similitudinem formata, recentioris artificis sine mente ac ratione

---

*) Arch. Zeit. 1860 p. 74 sq. tab. CXXXIX, CXL.

**) v. Trendelenburg, Der Musenchor (Winckelmannsprogr. Berlin) p. 13 sq.

***) Bull. napol. 1859, IX. Heydemann, Vasencatalog 702.

†) Dianam in vasis huius generis nuptias interdum indicare apparet ex picturis, quae Proserpinae raptum repraesentant (cf. Overbeck, K. M. IV, 17, 26. 27).

††) Vid. de hisce et aliis id genus imaginibus et sculptis et pictis Iahnium disserentem: Ber. d. saechs. Ges. 1850 p. 176 sq.; nuper iterum easdem erudite et polite tractavit Hersilia Lovatellia, cum urnam quandam in Esquilino repertam enarraret: Bullett. della comm. com. 1880.

†††) Guattani M. I. 1785 giugno I.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF ILLINOIS

interpolamentum. Quamobrem non opus erat Iahnium (l. c. 183) diu multumque cogitare, Apollo Troiae an Amyclis locum haberet.

Tali igitur imagini Musae et Gratiae interdum adsunt. Velut in vase Ienkinsiano marmoreo, quod nunc in Anglia adservatur*), tres Musae apparent singulae signis inter se distinctae. Eaedem Musae simul cum Gratiis, quibus in effingendis antiquum artifex imitabatur morem, ad nuptias futuras veniunt in anaglypto Esquilino.

Tale quid ne Romano demum tempore excogitatum putes, te monet pictura illa Aldobrandina, quippe cui a Graeco certe artifice inventae mira intercedat similitudo cum anaglyptis supra commemoratis (inprimis cum Esquilino). Quod in universum iam a Gerhardo**) recte cognitum, non recte negatum a Foerstero***) nemo iterum ita tractavit, ut venustissima imago re vera meretur.

Atque primum quidem Foerster ipse concedit hanc picturam multo magis quam alias anaglypti memoriam afferre, si respicias figuras tribus parietibus divisas (3 . 4 . 3) et omnes fere in una planitie pictas neque recedentes, columnae in dextra parte capitulum (secundum Foersterum l. c. 83). Deinde si singulas accurate contempleris figuras, quid? num re vera putas negari posse simillime in universum esse repraesentatas: novam nuptam, cui persuadere conatur pronuba atque Helenam, quam permovere studet Venus? quid tum: num dicas sine causa etiam in hac pictura tres utrimque stare feminas, ex quibus una Musae cuidam vel Apollini citharoedo persimilis videtur? Tripertitum etiam Nereidum chorum in pulcherrimo illo Monacensi anaglypto cum hoc pingendi more rectissime iam contulit Brunnius, *Beschr. d. Glyptothek* 115. Praeterea cum his tribus Musis vel Gratiis non inepte comparantur et numerum cum respicis et locum, ubi apparent, tres illae Furiae, quae apud Dra-

*) Arch. Zeit. 1874 p. 47, 35.
**) Beschr. Rom's II, 12 sq.
***) Arch. Zeit. 1874, 87.

contium (X, 481 sq.) in nuptiis Iasonis et Creusae pro testibus tabulas obsignant. Accedit quod similiter ac Polyhymnia in anaglyptis columna (quae quidem deest in anaglypto Esquilino) nititur prope ab Helena et Venere, etiam prope a pronuba et nupta cubitum columna fulcit femina illa, quae oleum ex alabastro in concham parat fundere. Atque hanc quidem Polyhymniam esse non facile quis dixerit, sed in Polyhymniae successisse locum equidem non negaverim, praesertim cum cogitem pedibus eodem fere modo implicatis Polyhymniam stare.

Denique nescio an alicuius sit momenti, cum alia praecedant, quod et in pictura Aldobrandina et in anaglypto Esquilino decem adsunt figurae.

Quae cum ita sint non possum non putare imagine anaglyptis sculpta pictorem libere esse usum eo consilio ut cotidianam vitam quam venustissime effingeret.

Quod quando factum sit aliquam in partem elicere nos posse opinor collato vase illo, quod Robertus edidit*). Ex hoc enim elucet — neque id Robertum fugit — hic eam imaginem, quam pulcherrime praebet Neapolitanum anaglyptum, ad consuetudinem aetatis voluptate et venustate gaudentis esse traductam. Cum autem id genus vasa circiter inde ab medio quarto saeculo Athenis fabricarentur**), eodem fere tempore ortum esse veri est simillimum anaglyptum illud, quod tabulae Aldobrandinae pictor libere venusteque totum novavit simili ductu sratione qua vasorum illorum auro splendentium pictores, quorum de operibus rectissime dicit Iahn (l. c. 27): *Es ist klar, dass es nur darauf ankam, den Darstellungen eines freien heiteren Lebensgenusses einen bestimmten poetischen Character zu geben, indem man die Repraesentanten alles dessen, was einem solchen Lebensgenuss Reiz und Wert geben kann, persönlich einführte, die Sterblichen in ihre Gesellschaft aufnahm, und das Ganze auf einen idealen Boden versetzte.*

---

*) Ann. dell' inst. 1879, 222 sq. tav. d'agg. N.

**) Iahn, Bemalte Vasen mit Goldschmuck p. 26 sq.; Körte, Arch. Zeit. 1879, 93 sq.

Quomodo posteriore quoque tempore pictores his formis ad vitam cotidianam illustrandam usi sint, prae ceteris patet ex Pompeiana tabula*), ubi Paris iuvenis nullo distinctus signo apparet, Amor parvus partes agit nuntii inter Helenam et Parim, pro Musis autem duae feminae (servae) adstant fructus afferentes.

Quibus expositis, si nunc iterum quaerimus quae sint tres illae sarcophagorum feminae, hoc non potest esse dubium, quin Musarum aut (id quod longe est veri simillimum, quoniam Musae, quae in aliis sarcophagis saepissime occurrunt, certis semper cognosci possunt signis) Gratiarum loco sint positae.

Proxime accedunt ad hasce feminas tales Graecae quales vasa praebent aurata**), si respicis cum alia tum χιτῶνα doricum, qui vocatur, crinesque nodo religatos.

Restat, ut pauca addam de tribus dis Apolline, Baccho, Mercurio, quos nullam aliam ob causam a poeta introductos esse manifestum est, quam quod Stella amicus poetarum in numero habebatur, qui hisce dis inprimis sunt cordi. Eadem etiam de causa, quia Stella elegos pangebat, Elegea per frigidissimam allegoriam tamquam decima Musa apparet***). Atque Elegea illa quidem, id quod non mirum est, nemo umquam, qui sarcophagos fecit, usus est, sed etiam Apollo, Bacchus, Mercurius in sarcophagis nuptialibus desunt, cum tamen in antiquissimis vasis in pompa nuptiali occurrant. Quibus de vasis quae viri docti scripsere†) haec habeo quibus augeam: Neque Foerstero assentiendum est, qui pro virili parte, sed frustra argumentis probare laborat Iovis et Iunonis esse nuptias, quoniam omnia desunt figurarum signa; neque in Iahni, Gerhardi, Overbecki ire possumus sententias putan-

---

*) Pitt. di Herc. II, 25. Iahn, Ber. d. s. G. 1850, 186 sq.; Helbig, Wandgem. 1298.

**) Iahn, Vasen m. Goldschm. tab. II, i, 3 cf. feminas in dextra parte stantes.

***) de hoc usu poetarum recentiorum egit Purgold l. c. 89 sq.

†) cf. Iahn, Arch. Aufs. 92 sq. Gerhard, A. V. 310—315 et 326, IV, 81 sq.; Foerster, Die Hochzeit d. Zeus u. d. Hera (Winckelmannsprogr. Breslau) p. 27 sq.; Overbeck, K. M. III 167 sq.

tium humanas hic intellegendas esse nuptias, quas di generis humani fautores beare studeant pro sua quisque facultate munera ferentes velut Bacchus vinum, Mercurius greges (?), Apollo musica, Ceres panem, alii alia, quia hoc argumentis esset stabiliendum vetustissimos pictores aeque ac Romanos artifices cotidianae vitae nuptias deorum praesentia magis adornare voluisse. Immo sic puto rem se habere. Quadrigas illas, in quibus stant homines (armatus interdum et auriga) quasque sequuntur vel antecedunt aliae figurae; istius aevi artifices cum pingere adamarent, eodem statu etiam deos repraesentabant, quo homines videri gaudebant. Ita magna vasorum moles est orta, in quibus di in curru stant, Apollo, Bacchus, Neptunus, Diana (?) saepiusque deus et dea a dis circumdati, Bacchus et Ariadne (?), Hercules et Minerva in Olympum vecti (quos maritos putare nunc quidem nemo sanus facile animum inducat), denique femina illa velata et vir saepissime barbatus: hanc deorum pompam nuptialem esse ex eo fit veri simillimum, quia faces saepe anteferuntur atque fere semper feminae caput velo obductum est, quod laeva prendit manu similiter ac nuptae solent. Sed hac in re acquiescendum esse censeo. Namque cum in horum vasorum longa serie ne unum quidem habeas, quo, quid agatur, pateat, cave ne in enucleando operam et oleum perdas. Cogitandum est enim pictores illos magna cum levitate et celeritate certas formas multiplicasse et mutasse, novas figuras addidisse neque tamen omnes certe distinxisse: exemplo sunt feminarum figurae, ex quibus Minerva tantum cognosci potest, quin etiam ea ipsa interdum sine signis stat in curru iuxta Herculem *). Aliam enim hanc esse feminam non affirmaveris **). Etiam huius agminis imagines documento sunt, quanta arbitrii libertate pinxerint pictores ***). Quae cum ita sint, probo Luckenbachi thesim 13 †): *Die Neigung neuerer Er-*

*) Gerhard ib. 140.

**) Similia affert Gerhard ib. II p. 169 adnot. 39.

***) cf. The vases of british Mus. 460; Jahn, Vasens. K. Ludwig's 692. 693, ubi pro viro barbato iuvenis est pictus.

†) Jahrb. f. class. Phil. suppl. XI, 636.

klärer, alle oder wenigstens möglichst viele Personen zu benennen, ist sehr oft unberechtigt, da die Malerei oft Personen zeichnet, ohne individuelle Gestalten im Sinne zu haben.

Praeterea in pompa nuptiali deorum apparent: Apollo et Mercurius in puteali Corinthio (de quo supra dixi), tres di — namque Apollinem adesse probabiliter coniecit Welcker — in anaglypto, quod in villa Albanensi adservatur *); de quibus hoc loco non dicam. Hoc tamen moneam Apollinem non minus ac Musas et Dianam in vasis recentioris aetatis, etiamsi in certa fabula, quae repraesentata est, locum non habeat, tamen nuptiarum testem interdum occurrere, testem etiam Proserpinae a Plutone raptae **).

En habes totum deorum apud Statium agmen. In sarcophagis praeterea nonnullae deorum et similes deorum occurrunt figurae ad virtutes vel omnino munera mortui significanda, velut Minerva aut Victoria, quae capiti sponsi sapientis et felicis coronam imponere parat, aut quattuor feminae ***), quae annonae praefectum (?) quendam ad nuptias et mortem sequuntur, cum vivo prae ceteris fuerint cordi — Portus (Traiani) Puteoli (?) Sicilia (?) Africa (quales Duhnio videntur.†). Interdum multo difficilius talibus figuris sua indere nomina: quin etiam prorsus fere desperandum est. Equidem feminam illam in sarcophago Vaticano (*sala delle Muse*), quae prope ab Hymenaeo stat, certo nomine carere malo quam sine causa Heben, *Παιδαισίαν* vel simile quid vocari. Neque multo melius res se habet in quattuor figuris nominandis, quae in sarcophago Laurentiano††) a sinistra appropinquant. Atque quam Rossbachius Venerem appellare non dubitavit, hanc non esse deam vel ex eo apparet, quod non columbam, ut

---

*) Zoega b. r. t. 101, Welcker A. D. II, 14 sq.

**) Overbeck, K. M. tab. IV, 17, 27.

***) cf. Bull. della comm. com. 1877, XVIII = Matz, Antike Bildwerke Rom's 3095 (Villa Aquari).

†) Brunn, Sitzungsber. d. b. Ak. 1881, 120 sq., deas sic vult appellari: Ostia, Alexandriam (?), Annonam, Aegyptum.

††) De hoc sarcophago v. Rossbach, Röm. Hochzeits- u. Ehedenkm. 40 sq., Matz l. c. 3090, Thode, Die Antiken in den Stichen Marc Anton's p. 6 sq. tab. IV.

vir ille doctus putat, sed procul dubio lucernam gestat columbae similem. Sed quae illa sit quidve lucerna sibi velit, dicere non ausim. Neque minus dubito de nomine alterius feminae, quae sequitur. Horam eam esse mihi non persuaserim, quia Horarum prorsus differunt ab his imagines. Quae quid hoc loco faciat, in propatulo est: *Serta ferunt* et ea et apud Statium Apollo, Bacchus, Mercurius. Flore enim et sertis laureis thalami ornari solebant*); itaque Violentillae quoque »fronde virent postes«.

Duas autem alias figuras sic cum Rossbachio interpretor: feminam deam urbis Fortunae signis ornatam, quacum comparasis Constantinopolim urbem modo Fortunae modo Victoriae more effictam**); virum autem Genium, etsi nego et Genium loco Polyhymniae positum et hoc vere dictum esse: *der Repräsentant jener belletristischen Literatur der römischen Kaiserzeit, welche Poesie, Roman, populäre Philosophie, Geschichte und Rhetorik umfasste. Daher das Volumen;* quasi res non ita possit explicari, ut statuas Genium hominis afferre nuptiale volumen (quo sive tabulas contineri fingere tibi vis sive carmen aliquod, nil moror). Ceterum monendum est Genium sic quidem non repraesentari; sed quod et cum Fortuna, ut saepius, hic quoque coniungitur et longos illos cincinnos habet Apollinis non dissimiles, proclive est coniectu artificem Genii figuram cum patera et cornucopia sacrificantis mutasse togamque ei et tabulas nuptiales dedisse in pompa nuptiali deorum.

Quibus rebus expositis postquam vidimus caerimoniam dextras iungendi totumque deorum apparatum Graecis deberi, iam quaeramus, quid secundum Romanam vitam scripserit poeta, artifex finxerit.

Atque Statius quidem, qua pollet arte depingendi, diei nuptialis in universum claram oculis subicit imaginem: Multo mane utramque domum hominibus repletam videmus; omina observant, postes fronde ornant; dum flammae lucent in compitis. Iam pronuba nuptam deducit marito atque

*) Dilthey, ann. dell' inst. 1869, 15.
**) Froehner, Médaillons p. 284 sq.

sacra lectumque genialem parat: iam undique conveniunt equites, magistratus, feminae nobiles; dum multitudo rerum curiosa ante portas se premit. Tandem feliciter dixere testes: caerimoniae adest finis; brevi post thalami foribus a multitudine secernuntur mariti, quibus Hymenaeus epithalamium canere studet.

Quorum omnium in sarcophagis nil habes nisi duo: sacrificia et testes; de quibus pauca nunc dicam.

Prima praesto fuisse socialia omina Statius narrat; quae posteriore tempore semper ex extis cognoscebantur*). Deorum autem voluntas ut impetriretur, arietem cecidisse Iovi sacrum veri reddiderunt simillimum Karlowa**) et Studemundus***). Quod sacrificium extatne in sarcophagis? Rossbachius primum†) in sarcophago Laurentiano tale quid agnoscendum duxit, deinde††) sententiam mirum sane in modum mutavit. Dicit enim hominem velatum volumen sinistra tenentem ex Peleo esse transformatum, qui deorum pompam exspectet; cui pompae quattuor illas in sinistra parte figuras comparandas esse, quattuor autem columnas, in quibus re vera posita est tabula, memoriam afferre thalami, in quo Thetis sedeat. Itaque sat audacter scribere non veretur: *Unser Relief ist eine freie und modernisirte Übersetzung eines altgriechischen Originals in die röm. Kunstsprache der Verfallzeit* (l. c. p. 55). Neque vero in hoc acquievit Rossbachius, sed parvum puerum, qui arietem adducit, Mercurium esse vel aliquando fuisse nobis persuadere conatur. Attamen dubitari nequit, quin quattuor mediae figurae ad Romanum pertineant sacrificium, in quo nullum locum habet tabula illa in quattuor posita columnis. Quid enim magis proprium est Romano ingenio quam hi tres camilli, hic capite velato sacrificans homo, cuius in manu volumen illud sexcenties tibi occurrit? hoc loco nuptiales fortasse significat tabellas, quas

*) Marquardt l. c. 45.
**) Formen d. röm. Ehe u. Manus p. 10.
***) Würzburger Philol.-Vers. 1868, p. 125.
†) Untersuchungen über d. röm. Ehe p. 380.
††) Ehedenkmäler l. c.

nequaquam solus maritus fert. Omnino in maximo usu erat cum tali volumine homines togatos repraesentare.

Hoc vero auspiciale sacrificium esse mihi quidem maxime probatur, cum praeterea simile quid non invenerim; deinde quamquam Rossbachio concedas haruspicinam aliter esse sculptam, tamen hoc loco extispicii apparatum tantum, non extispicium ipsum effingi cogita modo; denique sacrificium in medio positum atque ab alia imagine quodammodo secretum re vera dextrarum iunctioni antecedere posse quis est qui neget? Hominem autem velatum rectissime affinem aliquem dicas, qui auspicis munere fungitur, ut posteriore tempore solebant*).

Sed iam ad alia transeamus sacrificia. Atque ut in eodem sarcophago interpretando pergamus, iterum Rossbachius a recta sententia non bene discessit. Quod enim sacrificium ad nuptias pertinere olim putabat (in latere sinistro sarcophagi), id nunc dicit dis inferis fieri. Immo nuptiale est, quia et optime respondet cum tribus Gratiis nuptialibus et pro certo scimus porcam a novo marito et marita immolatam esse**). Porca enim Iunoni Lucinae sacrificabatur***).

In omnibus reliquis id genus sarcophagis victima bos est, quem ministri Romano more vestiti adducunt et camilli saepe comitantur; quam victimam Iovi oblatam quamquam scriptores nuptialem fuisse non testantur, tamen suo iure artis opera secutus Marquardtus in nuptiis immolatam esse statuit, nisi quod in hoc uno erravit vir doctissimus, quod ad nuptias refert sacrificium, quod imperator paludamento indutus in iis sarcophagis facere solet, qui ad vitam privatam et militarem spectant†).

---

*) Marquardt l. c. 46, adnot. 3.

**) cf. Varronem de r. r. II, 4, 9, quem locum non recte interpretatur interpungitque Rossbachius l. c.; rectam veteremque divisionem vid. apud Marquardtum l. c. 50; cf. Studemundum l. c. p. 125.

***) Preller, Röm. Myth.² p. 242, Marquardt, Röm. Staatsverw. III, 168.

†) qua de re recte disputavit Rossbach l. c. 118 sq.

Multo brevius de testibus dicam. Adsunt in sarcophago quodam Neapolitano inedito octo viri, quorum duo tenent volumina nuptialia, cum ceteri circumstant. Hos testes puta, qui de tabulis illis disputant postea eas obsignaturi, cf. quae de hac imagine infra adnotabo. In universum similis sculpta est caerimonia in sarcophago, quem Torlonia possidet. De singulis rebus ex descriptione, quam infra addam, nemo, puto, multa colligat.

Ex his, quae attuli, hoc mihi videtur apparere: Romanorum poetas et artifices recentiores cum ad nuptias ornandas a Graecis peterent auxilium, et ingenio caruisse, ut qui floribus undique decerptis bene uti non possent, et iudicio, ut qui non simplicem sequerentur dicendi et fingendi morem, sed contortum et artificiosum. Nihilo minus in hisce pauperrimi ingenii operibus cum aliquo fructu et gaudio versabitur is, qui Graecos deos *ῥεῖα ζώοντας* a Romanorum secernit gravi et ieiuno apparatu et sacrificandi et testandi, quo inviti tenentur, atque ad Graecas comitatur nuptias. Sed artifices inprimis sequatur necesse est, non poetas. Namque qui post Statium, Claudianum, Sidonium Sappho leget, Theocritum, Catullum, in nuptiis celebrandis hos poetas omnes nil aliud habere inveniet, quod conferri possit, nisi quae in nullo omnino carmine nuptiali poterant deesse — dico laudes sponsi sponsaeque et illas ad deos precationes.

Artis vero Graecae praeclaras variasque formas in hisce nuptiarum imaginibus Romanis valde interdum latentes enucleare et usque ad ultimam, quam potest, persequi vetustatem iuvat atque prodest. Ut enim Kekulei verbis utar: *Ob eine scheinbar einfache und leicht verständliche Scene spät und frei geschaffen, oder ob sie von altem mythologischen Besitz herabgeerbt sei und wie weit bewust oder unbewust der uralte Sinn darin noch mächtig sei, ist eine stets wol aufzuwerfende Frage* (Tanagr. Terracotten p. 17).

Sub finem totius disputatiunculae sarcophagum Neapolitanum ineditum, qui in museo publico sub No. 6603 adservatur, paucis iuvat describere verbis. Tota imago in duas dividitur partes. In sinistra octo stant viri togati et barbati

calceis plerique induti; quorum duo volumina sinistra tenent. Atque qui a sinistra stat cum volumine, dextram togae admoturus, medium inter quattuor viros habet locum, quorum is qui prope eum processit, duobus dextrae digitis elevatis cum eo disputat fortasse de tabulis illis nuptialibus, cum ceteri animum ad hoc attendant.

In altera parte vir pectore toto fere denudato sinistra volumen tenet admodum mutilatum atque dextrae digitum indicem tendit, ut videtur, ad virum, cuius dextra sub volumine illo prorsus aperta apparens verba subsequitur. Medius inter eos tertius vir totus fere recedit, capite in dextram partem verso. Duo pueri tunicati ad pedes virorum stant, ita ut quattuor dextras figuras a sinistris secernant. Capita eorum desunt et manus, quibus camillorum ritu flores fortasse et id genus alia ferebant.

Tabulis satis superque disputatis atque obsignatis in dextra parte sequitur iunctio dextrarum. Nupta, quae sinistro pede nititur dextro crure leviter flexo, appropinquans dextram porrigit marito, qui eam prehendit (ut videtur, utriusque enim manus desunt). Maritus sinistra tenet volumen nuptiale, quod quidem cum manu mutilatum est, nupta sinistra vestimentum capessit, id quod iam ab antiquissimis temporibus nuptae facere solent. Iuno Iuga *στεφανηφόρος* media inter maritos stat prorsus recedens, ita ut caput tantum appareat. Nuptam sequitur femina veste induta, quae brachia maximam in partem denudat fasciaque alte est cincta; cuius dextra tota est posita in capite nuptae crines eius componens, sinistra, quae quidem non magis quam brachium potest cognosci, in altera capitis parte idem facere videtur. Et huius et nuptae vultus non tam ad veri oris similitudinem quam ad formam quandam in universum patentem sunt expressi.

Virum sequitur homo barbatus (paranymphus), qui bulla ornatus est super nudum pectus pendente, et sinistra aliquid tenet clavae (?) simile, quod supra et infra (?) mutilatum quid sit nescio.

Inter nuptae et feminae comitantis capita Hymenaeus apparet parvus puer, cuius caput vides, alas, facem, quam in dextram porrigit.

Inter maritos ut saepissime ita hic quoque Amorem parvum stetisse elucet ex facis frustulo, quod prope a nuptae manu servatum est.

Totus sarcophagus quin ad Commodi tempora referendus sit, non est dubium.

Similis videtur sarcophagus esse, qui in museo Torloniae adservatur*): »Altorilievo. Servì a contenere le spoglie di personaggio vissuto ai tempi di Settimio Severo. Stanno nel mezzo un uomo barbato ed una donna, presso ai quali si veggono una fanciulla ed un fanciullo. Questi sta collo stile scrivendo sopra un libro aperto ed ha presso uno scrinio entro al quale sono cinque papiri rotolati e legati. La fanciulla presenta una cassettina, ed è in atto di aprirla. Possono dirsi allusione alle nozze. Circondano il gruppo principale varii personaggi, che tutti hanno nella mano un papiro. Fra questi un littore chiude la composizione a sinistra. Il lato posteriore è baccellato a spira.«

---

*) P. E. Visconti, Catalogo del Museo Torlonia 305.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 4.

Fig. 5.

Fig. 6.

Fig. 7.



Fig. 8.



3 0112 115883230

Verlag von Breitkopf & Härtel in Leipzig.

Griechische und römische Klassiker.

Apuleii Psyche et Cupido; recensuit et emendavit Otto Jahn. Mit eingedruckten Holzschnitten. 2. Aufl. 1873. X. 76 S. 16. geh. ℳ 1. 50.
Eleg. geb. mit Goldschnitt ℳ 2. 50.

Apulejus, Psyche und Cupido. Ein Märchen. Deutsch von Dr. Jul. Bintz. Mit Titelbild. 1872. VIII, 79 S. 16. geh. ℳ 1. 50.
Eleg. geb. mit Goldschnitt ℳ 2. 50.

Aristoteles. Vermehren, Mor., Aristotelische Schriftstellen untersucht. 1. Heft. Zur Nikomachischen Ethik. 1864. VI, 103 S. gr. 8. geh. ℳ 1. 80.

Caesaris, C. Julii, Commentarii cum supplementis A. Hirtii et aliorum. Caesaris Hirtiique fragmenta. Car. Nipperdeius recensuit optimorum codicum auctoritates annotavit quaestiones criticas praemisit. 1847. IV, 814 S. gr. 8. geh. (fehlt). ℳ 13. 50.

—— —— Ex recensione Car. Nipperdeii. Editio IV. stereotypa (Schulausgabe). 1881. IV. 344 S. gr. 8. geh. ℳ 1. 50. gebunden ℳ 2.

Firmici Materni, Julii, De errore profanarum religionum libellus ex recensione Conradi Bursian. Accedunt capita quaedam libri X recognitionum Pseudoclementinarum. 1856. XII, 61 S. gr. 8. geh. ℳ 1.

Livi, T., Ab urbe condita libr. CXLII periochae. Julii obsequentis ab anno urbis conditae DV prodigiorum lib. Recens. et emendavit Otto Jahn. 1853. XXVI, 154 S. gr. 8. geh. ℳ 2. 40.

Persii Flacci Auli, Satirarum liber. Cum scholiis antiquis edid. Otto Jahn. 1843. 40 S. gr. 8. (fehlt) ℳ 9.

—— Sat. lib. (Schul-Ausgabe.) 1851. 8. geh. ℳ —. 75.

—— Satiren, berichtigt und erklärt von Karl Friedr. Heinrich. 1844. 177 S. gr. 8. geh. ℳ 3.

Plato. Schöne, R., Über Platons Protagoras. Ein Beitrag zur Lösung der Platonischen Frage. 1862. VIII, 99 S. gr. 8. geh. ℳ 1. 80.

—— Vermehren, Mor., Platonische Studien. 1870. IV, 164 S. gr. 8. geh. ℳ 2. 40.

Scriptores Historiae Augustae. Andeutungen zur Textes-Kritik und Auslegung derselben. Von H. Ed. Dirksen. 1842. VIII, 278 S. gr. 8. geh. ℳ 4. 50.

Senecae Annaei, oratorum et rhetorum sententiae divisiones colores. Recensuit et emendavit Conr. Bursian. 1857. XX, 466 S. gr. 8. geh. ℳ 7. 50.

Taciti, Corneli, Dialogus de oratoribus. Ad codices denuo conlatos recognovit Adolfus Michaelis. 1868. XXIV, 74 S. 8. geh. ℳ 1. 50.

Theophrasti characteres ed. Dr. Eug. Petersen. 1859. VI, 181 S. 8. geh. ℳ 3.